

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Homine Corrvpto et Instavrato

Chamier, Daniel

[Frankfurt], 1627

Liber duodecimus, De fide

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-885)

se bonam, ex charitate meliorem, intelligi bonam simpliciter, & sine vilo peccato, etiam veniali, posse praestari. Tantumne in vilo homine confidentia? Imo tantum ne impudentia, vt sua somnia tam secure effutiat? At nos negamus ita vel cogitasse Bernardum, quod nec dixit, & absurdum est.

XIX. Imo, inquit, alioquin non distingueret eam ab inobedientia propter neglectum, quam dicit esse culpam venialem: & inobedientia propter contemptum, quam dicit esse criminalem, atque damnabilem.

XX. Imo, inquam, inobedientia necessario & per se distinguitur ab obedientia: pertinetque haec oppositio ad vtriusque naturam. At nos loquimur non de ipsa obedientia natura in abstracto: sed de operibus, quae ab ea manant. Et si autem verum sit obedientiam distingui ab inobedientia, siue veniali, siue mortali; tunc enim nihil ad rem: tamen falsum, posse obedientiam praestari a quoquam in hac vita sine peccato.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

LIBER DVODECIMVS DE FIDE.

Caput Primum.



Roximam polliciti sumus disputationem de Fide, quam tractarunt mihi cogniti, ex nostris Calvinus Institutionis libri tertij capite 2. Bulingerus Decadis primae sermone 4 & 5. Musculus, & Melancthon in locis Communibus, Chemnitius Examinis parte 1. loc. penultim. Paræus contra Bellarminum de Iustificatione Impij.

II. Papistæ vero: Bellarminus de Iustificatione libri primi capite tertio & sequentibus. Costerus Enchiridij capite quarto: Tapperus articulo nono & decimo: Hofius Confessionis capite decimo quarto Lorichius in Fortalitio Fidei: Matthæus Galenus Catechesi vndecima: Franciscus Sonnius Demonstrat. tract. 2. secundo: Salmero in Epistol. ad Galat. disputatione quarta: Pighius controuersia 2. Sanderus de Iustificatione: Franciscus Cordubensis, Annotationum artic. 1. Martinus Becan. opuscul. quarto primi tom. cap. septimo & seq. Scultingius Bibliothecæ Catholicæ tom. 2. contra caput secundum libri tertij Institutionis Caluini. Zacharias Bouerius tom. 2. in Demonstratione secundi Symboli.

III. Fides homonyma est: alias Ethica, alias Theologica. Illa, autore Cicerone, lib. 1. de officiis fundamentum iustitiæ, dictorum, conuictorumque constantia & veritas. Qui vsus in profanis autoribus plurimus, nec nullus in sacris. Hier. 7. Perit fides, & ablata est de ore eorum. Ampliata tamen significatione, vt sincerum denotet cuiusq; affectum in tuendis sui officij partibus, ne discedat ab æquo & iusto. 1. Samuelis 26. Dominus retribuit vnicuique secundum iustitiam suam, & fidem. Prior. 1. Timoth. 5. Primam fidem irriam fecerunt. Quo sensu etiam de Deo vsurpatur Psalmo 33. Omne opus Dei in fide. Ad Rom. 3. Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?

IV. Hinc fidelis, quicunque eo animo est, vt suas partes in officiis fungendis non deserat. Numero. 11. Seruus meus Moses in tota domo mea fidelis est. Matth. 24. Quis est fidelis seruus, & prudens? Imo Deus ipse Deuteron. 7. Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis. Post. ad Theff. 3. Fidelis Dominus, qui confirmabit vos, & custodiet à malo.

V. Theologica Fides a primo illo quidem vsu deriuauit nomen, sed transumptum ad peculiarem: quomodo alia non pauca vsurpauit Spiritus, quæ sumpta de medio tamen diuini significant, vt Gratia, Charitas, Ecclesia, Baptismus, Cæna, Salus alia, quæ nunc in Ecclesiâ vix audiuntur: eadem notione, qua in seculo. Significat ergo virtutem, propriam veræ religioni, per quam distinguuntur fideles ab infidelibus. Ita n. loqui consuevit Spiritus Sanctus, vt quicumque homines alieni sunt à vera religione, ἀπιστοί, infideles dicantur: & contra, πιστοί, Fideles. Ioan. 20. Et ne esto, ἀπίστευτος, & ἀπιστός. Act. 19. οἱ ἐμὲ καταμαρτυροῦντες πιστοί, Fideles qui erant ex circumcisione. Et 16. Filius cuiusdam mulieris Iudæa fidelis. Post. ad Corinth. 6. Quia pars fidelis cum infideli. Prior. ad Tim. 4. Omnium hominum, maxime fidelium. Prior. ad Cor. 6. Et hoc sub infidelibus. Septimo. Si quis frater habet coniugem infidelem. Prior. ad Tim. 1. Ignorans feci, & ἀπιστία, in incredulitate.

VI. Hæc tamen fides adhuc non vno modo legitur. Alias proprie pro habitu ipso fidelium inherente cordibus, per quem vnusquisque sit & dicatur fidelis. ad Roman. 1. Fides vestra annuntiat toti mundo. Ad Ephes. 1. Audita fide vestra. Prior. ad Corinth. 2. Vt fides vestra non in sapientia hominum, Post. 1. Non dominamur fidei vestra. ad Rom. 1. Per mutuam fidem vestram simul & meam.

VII. Alias vero figurate, ac primo quidem μετὰ νοῦν, pro obiecto fidei proprie dictæ: vt significet vniuersam doctrinam Christianam, cui vera fide adherendum sit, atq; adeo adherent ij, qui fideles dicuntur. Ad Ephes. 4. Vnus Dominus vna Fides, vnum Baptisma. Ad Tim. 3. Tenentes mysterium fidei, Act. 6. Multa turba sacerdotum auscultabat fidei. Ad Galat. 1. Qui persequitur nos aliquando, nunc annuntiat fidem, quam olim vastabat. Est et frequentissima notio apud Veteres: vnde in Athanasij Symbolo, ὅτι ἐκ βασιλεῦς ἐοικέναι ὡς πᾶσι ἀρχὴν κερταίῃ τῆν καὶ δοληρῶν πίστιν, Quicunq; vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem. Aug. Epist. 86. Sit ergo vna fides vniuersa que vbiq; dilatur, Ecclesiâ tanquam intus in membris: etiam si ipsa fidei vnitas quibusdam diuersis observationibus celebratur. Quamquam in hanc partem exempla cumulare, quæ vbiq; sunt obuia, superfluum sit.

VIII. Secundo ἀνεκδοκίως vsurpatur pro fidei quadam parte, pnta externa professione, vnde illa Iacobi fides sine operibus, quæ & mortua. Quamquã raro occurrit in Scripturis: & forte nusquam alibi: nisi quis huc referat illud ad Gal. 6. Erga domesticos fidei. Quia n. hortatio est ad benefaciendum, videtur fidem nominare professionem externam, non vero vim internam, quæ non cadit in cognitionem nostram. Sed apud Patres crebrum, vt fides simpliciter Christianitatem denotat.

IX. Est & alia fidei acceptio: pro miraculorum efficientia, quæ solebat olim & ab initio fidem comitari. Prioris ad Corin. 13. Si habeam totam fidem,

adeo vt montes transferam, charitatem autem non habeam nihil sum. Et 12. Alij datur fides per Spiritum. Oecumenius in ea verba. Πιστις, φρόνησις, ἡ τῶν δογματικῶν ἀδελφῶν τῶν σημείων: Fidem dicit, non eam qua est dogmatum, sed eam qua est signorum: quæ verba habet à suo Chrysofomo: cui Theodoretus accedit: Item Hieronymus, siue quis est alius.

X. At non tantum Bellarm. historicam fidem, & miraculorum, & promissionum fidem vnã & eandem pronuntiat: sed etiam Zacharias Bouerius asserit eam distinctionem male assignari: & disputat his argumentis. Primo, quia Scripturæ vnã tantum fidem doceant. Secundo, quia ea distinctio sit omnibus Patribus, & Conciliis ignota. Tertio, quia fidem dilaceret, & velut in frustra concidat.

XI. Sed nobis hæc distinctio non tantum vera sed etiam necessaria videtur, & ex ipsis Scripturis. Quamquam fidem promissionum siue promissionum, non vidi apud nos vilo loco nominatam, sed pro ea veram fidem, siue fidem iustificantem: sed hanc quia peculiariter innitur promissionibus. de remissione peccatorum; hinc factum, vt aduersarij sibi ita permiserunt appellare. Et esto sane: nos enim non solemus in appellatiõibus esse superstitiosi, dum res ipsa sit in tuto. Nobis igitur hæc ratiocinatio est. Ea quæ possunt separari inter se, non possunt vnũ & idem. At hæc notiones fidei possunt in vnicũ separari. Non sunt ergo vnũ & idem. Maior per se patet: nam separatio non potest esse absque numeri multiplicatione, quam vnitas & identitas respuit. Assumptum a. facile est. Nam separari miracula à vera fide omnino necesse est nisi vtrunq; verum sit, & omnes vere fideles edere miracula: & omnes, qui edunt miracula esse vere fideles. Quod vtrunq; ipsa docet experientia falsissimum esse. Rursus: si non separantur fides historica, & fides vera: ergo quicumque historice norunt articulos fidei idem vere sunt fideles. At hoc falsum. Nam Simon ille magus dicitur credidisse Act. 8. & tamen non habuisse correctum in conspectu Dei: & apud Epiphanium ὁμοῦ ὁμοῦ καὶ ἀπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος, rectum cor neq; ratiocinationem, Et Psal. 50. Impio dixit Deus. Quid tibi vt enarres statuta mea, & assumes pactum meum in os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti verba mea post te.

XII. Distinctionem esse Scripturæ incognitam, vel secundum nomen dicit, vel secundum rem, secundum nomen, nihil est absurdum: nec debuit ab ijs obijci, qui sibi permittunt fidem formatam, & fidem informem. Secundum rem vero, falsum ponit. Atq; hoc sufficit: nam rationem docendi non est semper necesse existare in Scripturâ: vt Trinitatem, consubstantialitatem, & similia, quæ norunt inculcare Papistæ cum libet. Sed apud Patres veteres nõ reperiri cur dictum? Cum in promptu sint Chrysof. Oecumenius, Hieronymus, Theodoretus? Totidem verbis disparantes πιστις δογματικῶν, & πιστις σημειωτικῶν? Quamquam hoc cur obijciunt, qui fidem informem & formatam debet suis tantum Scholasticorum claustris? Fidem lacerari, & in frustra concidi tantum asseruit Bouerius, non etiam docuit: at nos negamus, non enim si animam vegetatiuam, sensitiuam, rationalem distinguunt Physici propterea animam rationalem discernunt. Sed Sophistæ magni sunt nugatores.

XIII. Fidei actus proprius atque, vt Scholis loqui mos est, elicitus, credere, πιστεῖν. Itaq; aliquando proprie, Act. 2. Omnes qui credebant, erant eodem loci. Ad Rom. 1. Est potentia Dei ad salutem cuius credenti. Ad Gal. 2. Et nos in Christum Iesum credidimus. Vnde & οἱ πιστοὶ ὄντες, crebro pro fidelibus. Ad Rom. 4. Vt esset pater omnium credentium. Prioris ad Corinth. 1. Seruare credentes. Est tamen cum improprie Act. 8. Simon vero & ipse credidit. id est, professus est credere.

XIV. Sed Theologi hunc actum tripliciter distinxerunt, totidem gradibus, & phrasibus. credere Deum, credere Deo, credere in Deum. Credere Deum primus gradus est, & vniuersalis quidam conceptus de Deo cum in intellectu persuasum est, esse Deum. At credere Deo, secundus gradus, cum fides habetur Deo loquenti, tanquã veraci, nec vnquam mentienti. Denique credere in Deum longe strictius: & præter vtrunq; illum gradum, addit affectum in ipsum Deum, quem possunt non habere, non tantum qui eum credunt in primo gradu: sed etiam, qui ei credunt in secundo. Imo cum primus secundusque, promiscuus sit etiam creaturis: at in Deum solum credi habent Theologi pro certo.

XV. Rufinus in expositione Symboli: Vbi de Diuinitate fides ordinatur, in Deum Patrem dicitur, & in Iesum Christum, Filium eius, & in Spiritum Sanctum. In ceteris vero, vbi non de Diuinitate, sed creaturis ac mysterijs sermo est, in præposito additur vt dicatur, in Sanctam Ecclesiam: Sed Sanctam Ecclesiam credendam esse, non vt in Deum, sed vt Ecclesiam Dei congregatam. Et remissionem peccatorum credendam esse, non in remissionem peccatorum: & resurrectionem carnis, nõ in resurrectionem. Hac itaq; præpositionis syllaba Creator à Creaturis secernitur, & diuina separantur ab humanis. Aug. Pl. 77. Hoc est credere in Deum: quod vtiq; plus est, quam credere Deo. Nam & homini cui libet plerumq; credendum est, quamuis in eum non sit credendum, in Ioan. tract. 29. Non continuo qui credit, er, credit in eum, nam & demones credebant ei, & non credebant in eum. Rursus etiã

de Apostolis ipsius possumus dicere: credimus Paulo: sed non credimus in Paulum: credimus Petro: sed non credimus in Petrum.

XIII. In tam variis fidei notionibus, necessario monendum est, disputaturos nos esse de fide, non illa Ethica, sed hac Theologica: & quidem proprie dicta: quæ nimirum complectatur illos tres omnes credendi gradus, Quod genus fidei solent nostri appellare fidem iustificantem: quia pro certo habeant, hanc illam esse, cui tam sollicitè Paulus iustificationem tribuit: imo ab ea, tanquam propriissima nota discerni fideles ab infidelibus, ut non tantum videantur, sed sint reuera tales. Quod neque professio externa potest, neque fides illa miraculorum: neutra enim hypocritas discernit.

XIV. Hanc utriusque consentimus nullam esse nisi infusam: id est, neque oriari à natura: neque à libero arbitrio causari: imo ne acquiri quidem multis actibus: sed infundi per Spiritum in corda fidelium, ut sit vere non humana, sed diuina persuasio. Obiectum eius esse veritatem diuinam reuelatam, neutri dubitant: finem etiam salutem æternam.

XVII. Sed cum ab illis capitibus discessum est, vix est in quo ausim dicere convenire inquirentibus huius fidei naturam. Nam & cuius sit facultatis disputatur, intellectus-ne an voluntatis: & quomodo, quatenusque aut huius, aut illius. Tum de obiecto non conuenit, utrum sit propria cuiusque salus, & quatenus, indeque cui hominum generi peculiariter donetur, & utrum *per se*, an in perpetuum. Quæ omnia capita exsequantur sumus ordine cum Deo proprio.

C A P. II.

Cuius facultatis sit Fides.

I. Primum ergo certum est fidem esse in mente: sed huius quia gemina facultas, intelligendi & volendi, quæstio est, utrius illa sit, an utriusque. Et nos quidem Catholici dicimus utriusque: non enim posse consistere absque obiecti sui cognitione, quatenus est verum: aut amore, quatenus bonum.

II. At Papistæ aliter. Nam Bellarmin. ponit in intellectu solo: atque in eo proficere à nobis dissentire, quod cum fidem esse dicamus fiduciam: hæc autem pertinet ad voluntatem, inde fiat, ut fidem in voluntate constituamus. At Catholici, inquit, id est, Papistæ, fidem in intellectu sedem habere docent. Vasques 1.2. disp. 209. contendit fidem iustificantem esse operationem intellectus, non voluntatis.

III. Sapetus, olim quidem Iesuita, nunc apud Albigenes Theologalis (sic enim appellant) non potest ferre nos in utraque illa facultate, fidem constituit: sed qua mente? Non facile dixerim. Vos coniecturas meas adiuuante: testor enim nolle cuiquam sententiam affingere non suam. Sed ille sibi imputato obsecratam propriam, quæ me incertum effecit. Queritur ille à nobis fidei definitionem ita dari, ut intellectus sit tanquam genus latius patens: at fiducia, cuius sedes in voluntate, sit differentia.

IV. In eo triplex esse peccatum. Vnum, quia non possit vllius speciei genus esse in vna facultate, differentia in alia. Secundum, fiduciam male tribui voluntati, quæ sit potius apprehensivæ facultatis, statuentis Deum mentiri non posse, assentiente fide. Tertium, fidem, spem, charitatem, tres virtutes Theologicas hoc pacto confundi: quas plurimum inter se differre operosè disputat, quasi esset aliquando in controuersiam vocatum.

V. Quibus ex verbis intelligimus facile, displicere Sapeto fidem statui in intellectu simul & voluntate: sed utram assignet, tamen incertum reliquit. Diceret intellectum, partim ex aliorum coniectura: partim, quod confundi queratur, spem, fidem, charitatem: quarum extremas certum est voluntates esse. Sed contra, non rejici voluntatem, inde suspiceris, quod paulo ante posuit *in credere in Deum*, addere fidei, qua creditur Deo affectum voluntatis: sed & nos refutet, docentes non posse definiti absque cognitione, cuius sit sedes in intellectu: tum denique disputet fidem non ita esse in nobis ex dono Dei, ut nihil ad eam conferat liberum arbitrium, aut in ea non habeat voluntas suas partes.

VI. Sed enim illud de nostra definitione fidei calumnia est. Neque enim dicimus intellectum esse genus fidei, aut differentiam accessimus à fiducia. Ac sane contentus dicere Sapetus, nullum potuit autorem, autorisue locum indicare testem accusationis. Enimvero intellectus esse genus non potest. Is enim est mentis facultas: at fides mentis habitus. Quis autem tam alte deliravit, ut habitum diceret esse facultatem? Deinde fides est virtus: at nullius virtutis sua facultas genus est: itaque nunquam dictum, voluntat em esse genus iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis: Tertio, intellectus, quatenus facultatem, dicit, tam est homini à natura, quam mens ipsa: at fides præter naturam. Si a. fides esset species intellectus, necessario esset à natura: quia quæcunque de genere prædicentur, eadem speciei inesse oportet. Denique, si fides sit intellectus, quomodo, homo est animal: ergo aliquam aliam oportebit speciem esse intellectus, *ut videtur in philosophia*. Quod si sit, tum plures erunt homini non tantum intellectiones, sed etiam intellectus: non autem vnicus: quod absurdum.

VII. Nec potest etiam fiducia esse differentia: quoniam hæc ipsa latius patet, quam fides, etiam cum intellectu. Certum est enim rationalem confidentiam præsupponere semper cognitionem: quæ n. cæca sit eandem esse brutam, ac stupidam. Confidunt autem non raro homines, cum ratione: ut amicorum benevolentiam, quam habent plurimis experimentis compertam.

VIII. Est igitur manifesta calumnia. Sed illud verum nihilominus, à nobis constitui fidem cum in intellectu, tum in voluntate. Nec vero primis. Prædem n. Bonaventura, magnus inter Scholasticos, disputavit in 3. dist. 23. q. 2. art. 1. *Licet fides respiciat actum potentia cognitivam, non tamen ipsum respicit omnino, pure: sed in quantum habet affectionem concomitantem, & quodammodo post sequens em, & ideo etiam necesse est ponere quod fides quodammodo sit in affectione: & hoc quia est habitus voluntarius, & amor ordinatus. Item, Quod aut rationes sibi inuicem non obuiant, (videlicet quæ pro intellectu sunt, quæque pro voluntate, sed utriusque, verum concludant, satis clare potest videri, si quis potest capere, quod ad esse fidei virtutis concurrat actus rationis, simul & voluntatis: quod bene innuit Apostolus in ipsa notificatione fidei, cum dicit fidem esse substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium, tangens quod est in ea cognitionis, & quod est affectionis.*

IX. Nec secus Thomas 2.2. quæst. 4. artic. 2. *Cum fides sit quædam virtus, oportet quod eius actus sit perfectus. Ad perfectionem autem actus, qui ex duobus actibus principis procedit, requiritur quod utrumque actuum principis sit perfectum: non enim bene potest secari, nisi & secans habeat artem, & serra sit bene disposita ad secandum: Dispositio autem ad bene agendum in illis potentiis anima, quæ se habent ad opposita, est habitus: & ideo oportet, quod actus procedens ex duobus talibus potentiis sit perfectus, habitu, aliquo præ existente in utraque potentiarum. Dicitur autem supra, quod credere est actus intellectus, secundum quod mouetur à voluntate ad assentiendum: procedit autem huiusmodi actus à voluntate & ab intellectu, quorum utrumque natum est per habitum perfecti, secundum prædicta: & ideo oportet, quod tam in voluntate sit aliquis habitus, quam in intellectu.*

X. Sic illi: nos autem obiectiones Sapeti facile diluimus. Non posse genus esse in vna facultate, differentiam in alia: nihil aduersum nos, qui nunquam diximus fidem esse ipsam intellectus facultatem: sed esse in intellectu tanquam habitum in subiecto: quanquam non adæquato, siue proprio. Nam profecto fides est habitus animæ fidelis, & renouatur per Spiritum Sanctum. Quomodo videlicet Liberum Arbitrium & in intellectu est, & in voluntate, ab illo habens arbitrium, ab ista libertatem: ac proinde neque intellectus est, neque voluntatis, sed virtusque concurrentis ad eandem operationes.

XI. Fiduciam negat Sapetus voluntatis esse. Verum contradicit Bellarminus, cuius hæc disertæ ex c. 6. libr. 1. de Iustificat. *Argumenta omnia, quæ fecimus hæcenus, aperte demonstrant, fidem esse in intellectu: ac per hoc ad eam nullo modo pertinere fiduciam, quæ est in voluntate.* Et sane Bellarmino manifeste fauent hi loci. Act. 4. *Da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum: videlicet ut interpretetur Lothius, Ne mina impediunt, quarum tamen imperium nullum in intellectu, sed in solam voluntatem tyrannis. Posterioris ad Corinth. 3. Habentes talem spem, multa fiducia vitimur.* Profecto spes non potest esse causa vllius effectus in intellectu: cum ipsa tota sit voluntatis. Mirro alios non paucos.

XII. Et vero scæde confundit Sapetus fiduciam cum assensu, cum fiduciam definit, esse, quod Deus, cum sit prima veritas, non possit mentiri. At qui hic ab omnibus appellatur potius assensus, quo nimirum intellectus amplectitur propositam veritatem. Est enim assensus & dissensus in intellectu, idem quod in voluntate, velle & nolle: ut sicut hæc vult bona, non vult mala: sic ille assentiatur vero, dissentiat à falso. Quare, qui certus est apud se, Deum non mentiri, habet ille quidem assensum intellectus sui: at nondum tamen habet fiduciam in Deo. Alioquin ipsi Diaboli, qui illud habent, pro certissimo, dicerentur etiam fidere Deo, dicerentur credere in Deum.

XIII. Distinctionem fidei, spei, charitatis, nos etiam volumus esse saluam: ut non sit nunc opus præcipitem Sapetum sequi in longam illam *ἀπερὸς ἡδὲ* disputationis de earum virtutum discrimine. Satis est non potuisse docere non enim opinor, neglexit id discrimen tolli, si fidei subiectum sit in voluntate, & intellectu. Nam quid de libero dicturus est arbitrio, quod neque in voluntate sola est, alioquin non futurum arbitrium: neque in solo intellectu, alioquin destituendum libertate?

XIV. Imo quid responsum speramus, si aduersus eum ab eo doctus velim esse Sophista? Nam charitatem, credo, non est negaturus totam esse voluntatis. Spem autem Bellarminus assignat eidem, dicens nihil aliud esse fiduciam, quam spem roboratam: & fiduciam tamen assignans voluntati. Ac sane Spei obiectum esse bonum, qua bonum, norunt omnes, qui norunt opponi timori, bonum autem obiectum esse voluntatis, nemo hæcenus dubitavit. Manifestum tamen est, vel autore Sapeto, discrimen inter Spem & Charitatem. Quare cum utraque sit in voluntate tanquam in subiecto suo: non sequitur nihilo differre inter se, quæ sunt in voluntate, tanquam communi subiecto.

C A P. III.

Fidem in intellectu esse.

I. Fidem esse in intellectu, vix putabam demonstrandum. Sed tum quia Sapetus visus est non cedere: tum quia futurum est sequentibus disputationibus non inutile, age, pauca hæc huic negotio concedamus: non enim multis opus est. Disputavit Vasques c. 2. disp. 209. in 1. 2. sed nullis necessariis argumentis.

II. Primum ergo: Quicumque habitus mentis versatur circa cognitionem, is pertinet ad intellectum. At fides est habitus mentis humanæ, qui versatur circa cognitionem. Pertinet igitur ad intellectum. Maior per se patet: quia cognitio non est voluntatis, sed intellectus: quo posito mouetur voluntas. Nam amor, habitus est voluntatis: nec est rei incognitæ: sed amor tamen non est cognitio, sed cognitioni accedens: quia multa cognoscimus, quæ tamen non amamus.

III. Minor autem probatur. Primo ex locis disertis. Io. 6. *Et nos credidimus, & nouimus te esse Christum, illum Filium Dei uiuentis.* Primæ Io. 4. *Et nos cognouimus, & credidimus charitatem quam habet Deus in nobis.* Ad Heb. 11. *Per fidem intelligimus constructum fuisse mundum verbo Dei, videtur, id est, intellectu concepimus.* Hinc est, quod Aug. de Ciuitate Dei lib. 1. c. 3. Scripturæ nos habere fidem dicit, *De his reb. quas ignorare non expedit.* Ambrosius in c. 1. ad Rom. *Fides aufert nebulam erroris, & tribuit perfectam Dei cognitionem mysterio Trinitatis, quod incognitum erat à seculis.* Theodoretus Therapeut. 1. *πιστις ἐστὶν ἀφ' οὗτος πηγὴ καὶ ἀρχὴ τῆς θεωρίας: Fides est obscura rei contemplatio.*

IV. Hanc cognitionem significant etiam Mysterij & reuelationis vocabula: Significat enim, rerum abstrusarum, neque passim obuiarum communiatam quibusdam cognitionem. De fide autem vsurpati, manifestum. Priore ad Tim. 3. *Tenentes mysterium fidei: Magnum est pietatis mysterium.* Ad Gal. 3. *Conclusi in eam fidem, quæ erat reuelanda.* Ad Rom. 16. *Secundum reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti.* Imo Christus, Matthæi 13. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum.*

V. Imo doceri fidem, quis ignorat? At, docere profecto ad voluntatem non refertur, sed ad mentem, & intellectum. Itaque, omnino si docetur fides,

des, hanc necesse est pertinere ad intellectum. Docetur autem. Nam illud ipsum quod diximus, *venelare*, docere est. Et scimus dictum Matth. 28. *Profecit, docete omnes gentes.* Et alias similiter, & quidem saepe. Ambrosius in Luc. libr. 7. c. 10. *Eos misit ad seminandam fidem, qui non cogere, sed docerent.* Vnde & *διδασκαια*, crebrum. ad Titum 2. *Tu loquere quae decet sanam doctrinam. Omnem bonam fidem ostendentes, ut doctrinam Servatoris nostri Dei ornent in omnibus.*

V. Et quia iisdem Deus vitur mediis ad mentibus inferendam suam doctrinam, quibus solent omnes doctrinae tradi: hinc & λόγος fidei & fides per auditum. Prior. ad Timoth. 4. *Innutritus sermonibus fidei.* Ad Roman. 10. *Fides ex auditu.* Ad Gala. 3. *An ex auditu fidei? Ex operibus legis, an ex auditu fidei.*

VII. Secundo, Quicumque habitus mentis habet pro obiecto verum, is pertinet ad intellectum. At, fides est habitus mentis habens pro obiecto verum. Fides ergo pertinet ad intellectum. Ratio maioris est manifesta: quia, sicut bonum est obiectum voluntatis, ita verum est obiectum intellectus. Vnde Paulus prior. ad Timoth. 16. *conecit homines διεφθαρθεις τον νουν:* Et *απιστην οφθαλμους των αληθειας.* Scriptura ei cognitionem assignat, Ioannis 8. *Et cognoscetis veritatem.* Prior. ad Timoth. 2. *ad agnitionem veritatis venire.* Et quarto, *lis qui cognoverunt veritatem.* Poster. 2. *Det illis Deus poenitentiam, ad cognitionem veritatis.* Ad Hebraeos 10. *Post acceptam cognitionem veritatis.* Primae Ioan. 2. *Non scripsi vobis, quod veritatem ignoretis, ουκ οιστα, non cognoveritis.* Imo post. ad Corin. 4. *leges, φανερωσιν της αληθειας manifestationem veritatis.*

VIII. Minor autem probatur: Primo ex disertis locis. Poster. ad Thess. 2. *Quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem, per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritatis: πιστη της αληθειας.* Item, *Qui non crediderunt veritati.* Quo pertinet & illud prior. ad Timoth. 4. *τοις πιστοις ουκ επεγνωκωσιν την αληθειαν:* ubi manifeste describuntur fideles per agnitionem veritatis.

IX. Secundo, quia actus ille fidei elicited, *Credere*, passim refertur ad axiomata, sive enunciatia, quae veritatem certam habent, quae intellectui persuaaderunt, non voluntati. Matth. 9. *Crede me hoc posse credere?* Marci 11. *πιστευετε εις α λεγει γινετω, Crediderit, quia quocumque dixerit fiat.* Ioan. 8. *Nisi credideritis, me eum esse.* Et 11. *Ego credo te esse Christum Filium Dei.* Et 14. *Credite mihi me in Patre, & Patrem in me esse.* Et 16. *Credidistis me ad Deo prodisse.* Act. 8. *Credo Filium Dei esse Iesum Christum.*

X. Imo huic veritatis cognitioni additur *πληροφωρια*. ad Hebraeos. 10. *Accedamus cum vero corde, & πληροφωρια πιστας, in certa persuasione fidei.* At, hanc intellectus esse, ostendunt hi loci. Ad Col. 2. *της πληροφωριας της σωτηριως, certis persuasione intelligenda.* Ad Rom. 14. *ικουσ εν το ιδιω νοι πληροφωρια.* Vnde quisque in animo suo plene certus esto. Syrus, *Vnusquisque in cognitione anima sua certus esto.*

C A P. IV.

Fidem in Voluntate esse.

I. Sed esse etiam in Voluntate Fidem, negat Bellarminus diserte, ne locum vllū dare cogatur fiduciae, de qua suo loco tumus disputatur. Negat Vasques, & disputat, in Primam Secundae, disputatione ducentesima nona: nec tamen quicquam probat, nisi esse actum intellectus: Nam, non esse voluntatis, ne tenui quidem coniectura firmat. Quasi consequentia esset necessaria, si sit intellectus, ergo non esse voluntatis. Contra tamen Zacharias Bouerius c. 6. symbol. *Fides quae Catholicorum est, non in sola intellectu notitia, quae, tamen si necessaria sit, ea tamen, non sola sufficit, sed etiam in duplici, tum intellectu, tum voluntatis actu, constituitur.* Et post, *Pius voluntatis affectus accedere debet, sine quo ipse intellectus perfecte, & ut oportet, divina veritati assentiri non potest.* Videant Bouerius, Vasques, Bellarm. quam bene conveniant inter se. Sed & olim Bonaventura in distinct. 9. 4. *Fides respicit intellectum, & affectum.* At nos esse in Voluntate suam etiam fidei locum sic probamus.

II. Primum: Quicumque habitus animae habet pro obiecto bonum & malum, is pertinet ad voluntatem. At fides habet pro obiecto bonum & malum: Ergo pertinet ad voluntatem. Maior per se patet: Quia, ut intellectus obiectum est verum & falsum, sic Voluntatis, bonum & malum. Minor autem manifesta: Augustinus enim Enchiridij c. 8. *Est itaq, fides, & malorum rerum, & bonarum: quia, & bona creduntur, & mala: & hoc fide bona, non mala.* Tum autem, quis nescit fidem esse ad salutem?

III. Secundo, Omnis lex pertinet ad voluntatem. At fides est lex: Ergo fides pertinet ad voluntatem. Maior per se patet. Minor. ad Rom. 3. *Per legem fidei.* Nam hic quidem concedo ab Apostolo nominari fidem abstracte. Sed id argumento non obstat Nam etiam iustitia legis dicitur abstracte, vnde est concrete iustitia operantis legem, quae est in voluntate.

IV. Tertio, omne opus pertinet ad voluntatem. Nam, haec est principium omnium operationum. At, fides est opus: Ergo pender à voluntate. Assumptum probatur. Ioannis 6. *Operemini cibo qui non perit: sed cibo illi qui permanet in vitam aeternam.* Dixerunt ergo ad eum, *Quid faciemus, ut operemur opera Dei?* Respondit Iesus, & dixit eis, *Hoc illud est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.*

V. Denique, si fides pertineret tantum ad intellectum: Ergo non esset voluntaria. Non est enim à voluntate nostra, quod intelligamus: quia & multa intelligimus, quae nollemus: & multa non intelligimus, quae vellemus. At fides est voluntaria. Et si enim non sit à cuiusque voluntate, tanquam à prima causa, quomodo neque vlla opera bona: tamen est à voluntate, tanquam à causa secunda, sicut opera bona omnia. Itaque, quomodo iustitia, quae significat habitum, vnde singula opera prodeunt, infunditur à Deo voluntati: sic & fides quae est habitus, vnde ortum habent singuli credendi actus. Infunditur quidem etiam intellectui: sed non propterea non voluntati: quia de nunc agimus.

VI. Esse ergo fidem voluntariam, facilis probatio est ab omnium Theologorum consensu: qui docent fidem non posse cogi. Tum diserte Augustinus de Bono Persecutionis lib. 2. c. 16. *Prævenit ergo & fidem gratia: alioquin*

si fides eam prævenit, proculdubio prævenit & voluntas: quoniam fides sine voluntate non potest esse. De spiritu & litera 31. *Vide nunc utrum quis, credat si noluerit: aut non credat si voluerit. Quod si absurdum est: quid est enim credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? Consensio autem utriusque, volentis est: profecto fides in potestate est. Et post, Fides in potestate est, quoniam quæ vult quisque, credit, & eum credit, volens credit.* Ambrosius siue quis alius in post. ad Cor. *Fides non necessitatis, sed voluntatis res est.* Theodoretus Therapeutico primo, *αυτη ημιν εστι λογος πιστης εστιν εκδοσις της ψυχης ουχ οτι πιστοι: Prout ipsi definitimus, fides est voluntarius anima assensus.* Potho Pramiensis de Statu domus Dei lib. 1. *Sic fides definitur. Fides est voluntaria certitudo absentium, supra opinionem, & infra scientiam constituta. Voluntaria, quia non cogitur.*

VII. Quin Thomas huc refert illud Pauli ad Rom. 10. *Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo. Corde enim creditur ad iustitiam. Corde creditur: id est voluntate.* Nam cetera, quae ad exteriorem Dei cultum pertinent, potest homo nolens: sed credere non potest, nisi volens. Intellectus enim credentis non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis: sicut intellectus scientis: sed ex voluntate. Imo & Salmero, *Ad iudicandum, inquit: quod fides conferens iustitiam, à voluntate imperatur.* Et post. *Fides non demonstratur, sed virtute suscipitur voluntatis, captivantis intellectum in obsequium Christi, qui illam infundit.* Quare Augustinus tractatu vigesimo sexto in Ioannem. *Cetera, inquit: potest homo nolens: sed credere non nisi volens.* Nec aliter Caietan. *Attribuitur corde credere, tam ad excludendum fictionem simulantiū se credere: tam ad significandum, quod à voluntate imperatur credere conferens iustitiam.* Salmero, *Aut corde credere, ad excludendam fictionem, cum qua multi accedunt ad baptismum: & ad indicandum, quod fides conferens iustitiam à voluntate imperatur, ad differentiam fidei coactae, qualis est in demonibus, & erat in illis, qui crediderunt in eum à signis coacti, in se autem Christus non crederet semet ipsum eis.* Nam haec fides iustitiam non adfer: nam ut scientia virtute rationis demonstrantis gignitur: ita fides non demonstratur, sed virtute suscipitur voluntatis captivantis intellectum in obsequium Christi, qui illam infundit.

IX. Et hoc diserte notari iubeo propter Bellarminum, qui obiici sibi non patitur huiusmodi scripturae locos, in quibus vel fides vel fidei actus tribuuntur cordi: Quia, inquit, Cor in sacris literis pro tota anima accipitur, ut totum interiorem hominem significet: ideoque tribui cordi actus tum intellectus, tum voluntatis.

IX. Et vero certum nomine cordis, ita vsam Scripturam, ut non voluntatem duntaxat complectatur, sed etiam intellectum. Veruntamen, primo obiiciebantur Bellarmino etiam loci quidam in quibus non potest non voluntas intelligi: ut ille, *Diliges Deum ex toto corde tuo:* nam quis dubitat, dilectionem voluntatis esse? Deinde, quos nominamus autores, debuerant venire in mentē Sophista. Tertio: cum de fide agitur, voluntatem etiam comprehendit, debuit discere, ex eo quod vera fides à voluntate dicitur. Prior. ad Tim. 1. *Charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non simulata.* Itē 2. 1. *Reucans in mentem meam, quae in te est non simulatam fidem.* Certe hypocrisis non est in intellectu, sed in voluntate.

X. Redeo ad fidem voluntariam. Augustinus de Spiritu & Litera, c. 31. *Quid est credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? Consensio autem utriusque, volentis est. Profecto fides in potestate est. Et c. 32. Cum igitur fides in potestate sit quoniam cum vult, quisque credit, & cum credit, volens credit. Et 33. Consequens est paululum querere, utrum voluntas illa quae credimus, etiam ipsa Dei donum sit.* Gaudentius Tract. 6. in Exod. *Voluntatis fidem dixit.* Sed rursus Augustinus, de Prædestinat. Sanctorum cap. 5. *Fidem, quae in voluntate est.*

XI. Thomas, 2. 2. quest. 2. artic. 2. luculenter, *Credere ad intellectum pertinere, prout est à voluntate motus ad assentiendum.* Et artic. *Intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem, sed per voluntatem.* Et ideo assensus hic accipitur, pro actu intellectus, secundum quod à voluntate determinatur ad unum. Eodem modo Biel, in 3. Sententiarum, dist. 23. q. 2. Et Altenstaig in Dictionario Theologico verbo *Fides*, *Actum fidei qui est credere, esse actum intellectus vero assentientis, procedentem ex voluntatis imperio: quia nullus credat, nisi volens: Et habere, non solum pro obiecto verum, quod est obiectum intellectus: sed etiam finem, vel bonum, quod est obiectum voluntatis.*

XII. Franciscus Cordubensis, Annotation. art. 1. c. 48. *Quando evidentiōra sunt testimonia: tanto ex cordis maiori affectu Deo habemus fidem, & plus obedientia illi exhibemus. Nam quod fidei testimonia non propter eorum insufficientiam, sed quia homini sunt obscura non efficiunt, id voluntas religiose erga Deum affecta simul illis facit, quia persuadet intellectui, ut firmiter assentiat verbo Dei.*

XIII. Res est non difficilis, nec ratio obscura Fides fertur in verum: ideo non est absque intellectu, ut praecedenti capite observatum. Motus quo fertur intellectus ad verum dicitur. Assensus Sedis motus fit dupliciter. Alias per rationem, id est, evidentiā rei: quomodo in scientiis plerisque; conclusiones persuadentur ex vi principiorum: Et hic assensus necessarius est, nempe quia quodammodo cogitur animus vi rationum: Etenim Syllogismus est, *οτι εστιν των πινωτων η τροφη των κερδων εστι αναγκης ουμωσθαι τα ταυτα ηννα διου, ουμωσθαι ουκ επιβουλην πεθοντων, ωσε ου αναγκη εστιν εστι αναγκης η των κερδων, 2η ε κερδων.* Quae necessitas in iis reb. habet locum, quarum ratio est evidens, id est, nontantum certa in se: sed etiam accommodata captui discensitis.

XIV. Alias, is motus fit à voluntate: nimirum, cum res est obscura, id est, remotior à captu mentis humanae, quae tum cogitur quasi palpare in tenebris, luce illa rationum destituta. Itaque quomodo in tenebris non potest oculus obiectum apprehendere propter subractionem lucis intermedia: ita intellectus obscuras res non potest percipere, deficienterationum lumine. Itaque, tum voluntatis partes esse, necesse est: haec enim intellectum movet ad assensum rei alioquin incognita. Iam in Theologia, quis nescit non esse rationum evidentiā? Oportet ergo in Theologia vel assensum nullum esse, vel esse à voluntate mouente intellectum. Haec igitur ratiocinatio necessario efficit, tam non esse fidem sine voluntate, quam sine intellectu.

XV. Et vero haec causa est, cur audiamus saepe Obedientiam fidei. Ad Roman. *εις ομολογησεν.* Et 6. *Ex corde obedivistis ei forma doctrinae, in quam estis traditi.* Et 10. *Non omnes ομολογησαν αυσκουσαντων Ευαγγελιο.* Et 16. *Euangelium factum est manifestum ad obedientiam fidei.* Act. 6.

Multa turba Sacerdotum... auscultabat fidei. Quin etiam re. postero. ad Corinth. copulantur obedientia, & mens, siue intellectus, In captiuitatem redigentes omnem intellectum,...

XVI. Est & hoc argumentum certum. Omnis amor est actus voluntatis. At fides est amor: Ergo est actus voluntatis. Maior perse vera, & cognita. Minor probatur, quia vere fides est ea, quae credit in Deum. At, credere in Deum est amare Deum. Augustinus in Psalm. 130. Hoc est credere in Christum, diligere Christum. In Ioannem tract. 29. Quid est credere in Deum? Credendo amare. Et vero victus hoc argumento Gropperus in Enchirid. cap. 9. de Penitentia, Nec hoc omittendum est, inquit, fidem secundum duas...

XVII. Vasques contra: Primo fidem definiti ab Apostolo ad Hebr. 11. Hypostasim sperandorum, argumentum non apparentium. Et hanc fidem iustificantem esse disputat; primo post dici substantiam sperandorum; & hanc esse ipsarum esse, quod in cognitionis assensu habent: dici & argumentum... id est, assensum intellectus, circa rem aliquam. Deinde, quia de eadem fide dicat, Fide credimus aperta esse secula: quod intellectus est non voluntatis. Denique, Sine fide impossibile est placere Deo. Nam accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquiruntibus se, remunerator sit.

XVIII. Respondeo, primum opponi posse Bonauenturam, qui ex istoc ipso Pauli loco concludat contrarium. Repeto verba paulo ante descripta, ex quaest. 2. art. 1. in dist. 23. 4. Ad esse fidei Virtutis concurrunt actus rationis simul & voluntatis quod bene inuitit Apostolus in ipsa notificatione fidei cum dicit fidem esse substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium: tangens quod est in ea cognitionis, & quod est affectionis.

XIX. Respondeo praeterea, concedi Apostolo sermonem esse de vera fide iustificante: vt sibi Vasques intelligat superfluum disputationem eius capitulis. Sed definiti fidem, debeone concedere? Non putem, si definitionem intelligas ex placitis logicis, propriam & exactam, quae vniuersam rei naturam complectatur. Probatio certa: & quia hypostasis argumentumue, non potest dici fidei genus, & quia res sperandae, siue non apparentes non continent omnem differentiam fidei, nam creduntur etiam praeterita. Quod si latius definitionem nominis & improprie pro descriptione, (Nam & Lombardus ita appellat libr. 3. dist. 23.) admittimus: sed negamus quicquam confici: Non enim solent in descriptione omnia colligi, quae pertinent ad naturam rei descriptae: sed accommodari praesentibus vrbibus. Potuerit ergo Paulus fidem describere, quatenus pertinet ad intellectum, vt cum post dixit, fide credi condita esse secula: vt tamen prauidicium non sit factum eidem, quatenus regnat in voluntate.

XX. Deinde, nego hoc ipsum pertinere ad solum intellectum: nam hypostasim nihil esse aliud, praeter illud esse rerum sperandarum, quod est simpliciter in intellectu assentiente veris; diluuius est, quam, vt dignum sit tanta laudatione fidei, quam Apostolus instituit. Quid enim est non commune, non ex triuio? Scilicet nihil Abrahamum habuisse amplius quam Prolomzum: cuius in intellectu hypostasis sic erat Eclipseon, siue Lunarium, siue Solarium futurarum multis post eum seculis? At, nos longe augustius firmissimum illum assensum intelligimus, quo totus haerens Deo, & amans Deum, voluntate multo magis, quam intellectu vigeat: nam, intellectus certe in reb. non apparentib. necessario languidior est, & videt tanquam per speculum, actum voluntas & ipsa mouet seipsam, acceptis a Spiritu viribus, & intellectum cogit, quodammodo, vt docuit Thomas. Tum ergo, vere fides est hypostasis, cum habet vtrunque, & lumen intellectus, & ardorem voluntatis: sic n. fit, vt res quae propter sui absentiam in spe sunt duntaxat, sistantur tamen quodammodo praesentes, & dicantur habere hypostasim. Fidelis enim tam certo apprehendit eas & intellectu, & voluntate, quam si esset praemanibus.

XXI. In iis autem, Sine fide impossibile placere Deo, solum intellectum indicari, non dabit quicunq; scierit, quae sit fides per quam placeatur Deo. Nam hic recordabitur dictum, Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Fateor illud credere quod Deus sit, pertinere tantum ad intellectum; sed non sequitur nullum esse locum voluntati.

XXII. Secundo, obiicit Vasques ex 4. ad Rom. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. At credere est actus intellectus.

XXIII. Sed haec est petitio principii. Certe n. Abrahami ea fides laudatur, quae non ex euidencia demonstrationum sit persuasiva, sed ex constantia voluntatis imperata, siue, vt loquebatur Thomas, ad quam sit determinatus a voluntate intellectus. Nam, id innuit Paulus, testatur contra spem sub spe credidisse, & in ad eum non nisi, neq; infirmatum fide, non considerasse mortuum corpus, tum suum, tum Sarae: id est, non admisisse in disceptationem argumenta intellectus.

XXIV. Enimvero, tam praecelsum locum vehementer luxat Vasques suis glossis, vt conficiat nullam fidem defecti, nisi intellectus, Nam, his verbis, non infirmatus est fide, aperte denotari assensum fidei, qui pertinet ad intellectum, non concedo: imo assensum voluntatis disputantis contra intellectum Non dubitasse de eo quod ei dicebatur, apertum est: sed non dubitasse ex vi, intellectus solius, an ex vi voluntatis? intellectus, inquit, quia non confidit. At ego hinc concludo potius vim factam intellectui: nimirum quia non attendit vir sanctus ea, quae dictabat intellectus: nam haec ratio ab infirmitate corporis non erat: imo non poterat esse voluntatis, sed tota erat intellectus. Et sic saepe fit in reb. etiam nostris: vt etiam tum cum non possumus obistere rationib. voluntatis imperium sit. Et in reb. malis, longe illustrius documentum est, iam pridem celebratam carmine,

Video meliora, proboque, Deteriora sequor.

XXV. Tertio obiicit ex 1. ad Corinth. Nunc autem manent, fides, spes, charitas: maior autem horum, est charitas. Distingui enim fidem ab spe, fiduciam autem esse spem quandam.

XXVI. Non assequor. Fiducia est spes quaedam: An potius, spes est quaedam fiducia? Nam, Saperus fiduciam refert etiam ad intellectum: Fiducia, inquit, persuasio, & similia sunt facultatis apprehensiva. Paulo post, Sicut in scientiis certitudo, & fiducia est clara & euidentis cognitio causa propria sui effectus.

Et in reb. quae pendent a testimonio humano cognitio integritatis, & fidelitatis eius, qui testimonium perhibet, certos nos facit. Hac autem fiducia, siue certitudo, cum sit differentia cognitionis, in eadem facultate constitui debet, cum i. sa cognitione.

XXVII. Et lane, quo sensu Fiducia est spes quaedam? An vt spem si distribuas in suas aliquas species, earum sit vna quaedam quam appelles fiduciam? Breuiter, vt omnis fiducia sit spes, at non omnis spes fiducia. Imo inauditum, spem tanquam genus, distingui in suas aliquas species. Nondum certe mihi visum apud Theologos. Et aliquam esse spem, quae nulla sit fiducia; vix credo, fidem inueniat. Certo Altenstaig sperare, est existimare, credere, confidere.

XXVIII. Verius est, Spem esse fiduciam quandam, & fidem esse fiduciam quandam: nimirum, quia fiducia possit esse etiam rerum praesentium: at spes tantum rerum futurarum. Fides autem vtrarumque: itaque Paulus dixit esse hypostasim rerum sperandarum. Distinguit ergo sane Apostolus spem a fide: an nunquam tamen inde quisquam conficiet, fidem nihil habere commune cum voluntate.

XXIX. Obiicit quarto ex 2. ad Corinth. 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Loquitur de fide, qua ita mystetia credimus, vt intellectum nostrum cohibere debeamus a quavis contraria opinione.

XXX. Recte, inquam, sed cohiberi Thomas dixit a voluntate, non autem a ratione: quae sola alioquin solet in intellectu mouere. Tum autem manifestum est, tum obedientiam, tum inobedientiam, actus esse voluntatis: vel ipsis testib. Iesuitis, quibus in ore est perpetuo, caeca obedientia. Breuiter: Obedientia Christi, significat cohiberi debere, non tantum intellectum a contraria opinione, sed etiam voluntatem a contrariis motibus.

XXXI. Obiicit quinto, ex ad Ephes. 3. in quo, nempe Christo, habemus fiduciam & accessum in confidentia, per fidem eius. Et prioris ad Timoth. 3. Qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirat, & fiduciam in fide, quae est in Christo. Si fiducia & fides essent idem, inepte diceret Paulus, haberi fiduciam per fidem.

XXXII. Quin dic potius, inepte, false Paulus diceret, haberi fiduciam per fidem, si nullo sensu esset idem fides & fiducia. Enimvero, quia verum, fidem esse fiduciam apud Deum: ideo verum est, legitimum est, congruum est, per fidem haberi fiduciam apud Deum. Quemadmodum, quia verum, Physicam esse scientiam rerum naturalium: Astrologiam motuum caelestium: ideo verum, legitimum, congruum, per Physicam haberi scientiam rerum naturalium; per Astrologiam, scientiam motuum caelestium. Videntur quanto distet a Vasquis iudicio, iudicium nostrum? Sed, qui tam subtiliter confectatur syllabas, quaesierim ab eo libenter, quid sentiat de illis ad Hebraeos 3. verbis, Si fiduciam & gloriationem spei, usq; ad finem firmam retineamus. Nam: spem esse fiduciam, spero non negaturum, nisi forte haec mea spes non sit fiducia. Nam, Sophistarum ingenio quis confidat? Non ego, qui versipelles noui, & in omnes casus flexiles.

C A P. V.

Status Controversiae, de Cognitione Fidei, siue de Fide implicita.

I. St ergo Fides, habitus animi complectens vtramque facultatem, tum intelligendi, tum volendi. Nunc quaeritur, quatenus, & quomodo fides intelligat. Nam intellectus habet cognitionem, habet & assensum. Habetne ergo vtrumque fides? Nam de altero, id est, assensu, non potest dubitari. Quaestio ergo est, vtrum habeat notitiam.

II. Nos: notitiam distinguimus, vt alia sit τὸ εἶναι, alia τὸ διότι. Illa simpliciter tenens rem esse quae creditur, & qualis creditur. Haec vero vterius progressa, causas videns cur sit, & cur talis. Et quomodo Altenstaig. Intelligere dupliciter dicitur, vno modo large, idem quod cognoscere aliquid, quod per nomen dicitur. Alio modo intelligere idem est, quod ratione apprehendere, vel praeiudice ratione cogitare. Quae differentia perspicue apparet, si compares παρανοοῦν τινος. Et de media plebe artificem, cum erudito viro, & disciplinis exculto. Plurimi sunt in vsu communi fabri, qui circuli centrum tam exacte inueniant, quam Euclides, ex latere Hexagoni circulo inscripti. Sed quae sit eius operationis ratio, soli sciunt tamen, qui ab Euclide didicerunt. Eadem differentia Medicorum est, & Empiricorum.

III. Cognitio τὸ εἶναι duplici ratione obtinetur, vel Testimonio, vel Experientia. At Cognitio τὸ διότι, tantum per Syllogismum, siue ratiocinationem. Sic Iudices in reis peragendis haerent testib. vt plurimum: aliquando etiam argumentis, siue coniecturis. At vulgus artificum totum est in experientia. Nam etiam cum discunt, non aliter, aut certe vix aliter docentur, quam per frequentes actus, ex quib. fit habitus: vnde Prouerbum, Fabricando, fabrum fieri.

IV. Catholici negant fidem vllam esse posse absque vlla cognitione. Primum enim, illam priorem τὸ εἶναι, omnino esse necessariam: Adeo vt, exempli gratia, ille non possit dici credere Resurrectionem corporis, qui omnino hanc esse ignoret: aut illi credere Spiritum Sanctum, qui Act. 19. ne audierant quidem an esset Spiritus Sanctus.

V. Quod attinet ad alteram cognitionem, dicunt Christianae fidei dogmata esse alia prima, alia a primis deducta. Illa tanquam principia: quae ab aliis dogmatis non pendeant, & a quibus alia pendeant. Illa non posse sciri, nisi per cognitionem τὸ εἶναι, quae tota sit ex testimonio diuino. Quomodo Trinitatem, fidelium nemo credit, nisi propter hoc tantum, quia sit in Scripturis testatissima. Sic Christum esse Deum hominem, Christum resurrexisse, ascendisse in caelos, sedere ad dextram Patris, esse Mediatorem nostrum: & alia nonnulla.

VI. Quae autem dogmata a primis deducuntur, & pendent, ea vtroque modo posse sciri. Nam & esse, constat ex testimonio, siue Scripturae, siue Ecclesiae: & causa cur sine, habetur ab ipsis dogmatis, vnde pendent. Vt Filium non esse aliud a Patre, ratio est, quia vnus sit Deus, non plures. Quod operibus nemo iustificetur: quia omnes transgrediantur legem. Et si-

Et similia quæcunque sunt. In quibus tamen obseruandum, hanc ipsam *ἡ δὲ ὄν* notitiam, resoluam in illam priorem *ἡ δὲ ὄν*: nimirum, quia cum non possit hæc cognitio haberi, nisi à primis dogmatis, tum vero hæc ipsa prima dogmata non constent, nisi auctoritate diuina, hinc fit, vt ne hæc quidem deducta sciatur, nisi per cognitionem *ἡ δὲ ὄν*.

VII. Nullam igitur cenlemus esse fidem, absque vno saltem, aut etiam utroque cognitionis gradu. Quorum cum, qui tantum versatur circa *ἡ δὲ ὄν*, esse infirmorum, & incipientium, qui infantium more lacte opus habent, & solidum cibum nondum possunt ferre: alterum autem robustiorum, & prouectorum, vltraque primâ elementa progressorum. In quo quidem ordine, fatemur nunquam omnes futuros, qui intra Ecclesiam erunt: sed nemini tamen subsistendum, qui suæ salutis erit studiosus, atque adeo pendendum esse, si quis post multum tempus, tamen non fiat doctor.

IX. At Papistæ primum iniuriam nobis faciunt in constituendo statu quaestionis, sic disputantes, quasi nihil prorsus vellemus ignorari, non tantum quod ad *ἡ δὲ ὄν*, sed ne quidem quod pertineat ad *ἡ δὲ ὄν*. Atque adeo Vasques disputat. 209. cap. 1. in 1. 2. fidem iustificantem negat esse perfectam intelligentiam mysteriorum. Et contra Caluinum, inquit, *in simulacrum Catholicos: quod dicant se reuerenter credere quicquid Ecclesia docet, etiam si ea minus intelligant, & dicentem non ignorantia, nec sensus nostri submissione, sed cognitione certâ exploratâ regnum caelorum adiri. Immanem mendacium: impudentissima calumnia!* Nam Caluini verba ita sunt, ex 3. Instir. 2. quem ille locum annotat. *Hocine credere est, nihil intelligere, modo sensum tuum obediente Ecclesia submittas? Non in ignorantia, sed in cognitione sita est fides, atq; illa quidem non Dei modo, sed diuina voluntatis. Nec enim ex eo salutem consequuntur, vel quod parati sumus pro vero amplecti quicquid Ecclesia prescripserit, vel quod inquirendi cognoscendiq; prouinciam ad ipsam relegamus, sed quando Deum agnoscimus nobis esse propitium Patrem, recon. iuratione per Christum facta: Christum vero in iustitiam, sanctificationem, & vitam nobis esse datum. Hæc inquam, cognitione, non sensus nostri submissione, ingressum in regnum caelorum obtinemus. Enimvero, ubi Caluinus certam, & exploratam cognitionem dicit? Deinde submissionem sensus, non absolute rejicit, sed eam quæ in Ecclesiæ auctoritate, imo nomine acquiescit, nam quæ Deum respicit, hanc ille submissionem nunquam suggillat. Deniq; cognitionem nominat tum Dei, tum diuinæ voluntatis, non vero cognitionem mysteriorum, certam exploratamque: inter quas longum discrimen. Nam hæc ipsarum rerum euentiam quaerit illa, etiam non perfectorum, non penitus cognitorum mysteriorum rationem vnam habet diuinam voluntatem cui pleno assensu acquiescat: denique sensum submittit Deo, non summittit Ecclesiæ.*

IX. Rursus, cum definiunt, fidem non esse tam notitiam quam assensum simplicem, quæ verba sunt Bellarmini c. 17. lib. 1. de Iustificatione: tum fidem distinguunt in Explicitam, & Implicitam Biel in 3. Sentent. q. 25. Altenstaig in Dictionario, verbo *Fides*. Cui distinctioni hic sensus inest. Explicitam fidem esse actuale assensum Catholicæ veritatis cuiuslibet: vt cum quis didicit sigillatim articulos Fidei: eis que ita sibi peculiariter traditis assensum præbet: ac tum coniungi notitiam cum assensu. Implicitam autem, esse habitum credendi, sed sine actuali assensu: itaq; separatam à notitia: adeo vt credi dicantur hæc ratione res etiam prorsus incognitæ, quæque in mentem nunquam venerint: nimirum quia credantur in axiomate quodam vniuersali, quod ipsum fide teneatur explicita. Exempli gratia: Si quis credat Ecclesiam Catholicam (nam hoc illis familiare est) eundem statim credere quicquid illa credat, siue credendum tradat. Verba habet, & attende Francisci Cordubensis: *Et si fideles in lege Dei eruditi plura fidei dogmata explicitè in effectu, quam indocti fideles credant: tamen isti aut explicitè, aut in voto, tot dogmata, quot illi credunt.*

X. Hoc genus implicitæ fidei, Hofius Confutationis Prolegomenon Brentij, lepidiſſimo illustrat exemplo Carbonarij cuiusdam, ex quo cum animi causa vir quidam doctus quæsisset, quid crederet, Symbolum ille recitauit. Cum iste interrogaret vterius, quid crederet. Quod Ecclesia, inquit, illo pergente, & quærente, quid ergo crederet Ecclesia. Quod ego, inquit. Cumque ille doctus, de nouo, quid ergo tu? Ille Carbonarius circulo vsus, nihil aliud quam se credere quod Ecclesia crederet, Ecclesiam quod ipse crederet: nec aliud ab hoc ille potuit elicere.

XI. Hæc est Papistarum sententia, in qua satis mirari non possum vertiginosam ambages: quid enim dicam aliud, non habeo. Actuale assensum nominant. Et effectu credere, & in voto credere. Quis hæc verborum portenta capiat? Nam primo, quid est in voto credere, nisi nondum credere, sed velle credere? Et hanc quisquam doctus concipere potuit distinctionem fidei, cuius alterum membrum non sit fides? Tolere, si homonymiâ vocabuli discernant, quæ solet non *ἡ δὲ ὄν* solum, sed etiam *ἡ δὲ ὄν* appellatione confundere, sed rei natura nunquam ita explicabitur.

XII. Deinde, quid est effectu credere? Annon quomodo effectus, siue actus opponitur potentia? Erit ergo credere actus, & credere potentia: quo quidem vix dici potuit quicquam monstrousius. Nam omnis habitus iam est actus, respectu saltem remotæ potentia: etsi potentia dicatur propinqua respectu actuum singularum. Sed potentia propinqua, id est, habitus, dari actus quosdam adhuc in potentia, nunquam doctis auditum. Nec magis auditus profecto assensus aliquis non actualis.

XIII. Quid superest? Est quidem hoc absurdum, vt credere dicatur, qui non credit. Sed est aliquid absurdum magis, credere eum, non tantum qui actu, vt loquuntur, non assentit: sed etiam, qui actu dissentit. Hoc vnam quisquam expectasset, aut etiam sperasset: Altenstaig diserte in verbo *Credere*. In tantum valet fides implicita, quod si quis habens eam falso opinaretur, ratione naturali motus, Patrem maiorem, vel priorem Filio, vel tres personas ab inuicem localiter distare, aut simile quid, non sit hereticus non peccet: dummodo hunc errorem pertinaciter non defendat, & hoc ipsum credat, quia credat Ecclesiam sic credere. En quo se præcipitet humana subtilitas! Et quis erit absurditatum finis?

XIV. Porro Stapletonus Antidotis in Actor. 16. & in 1. ad Roman. implicitam hanc fidem, negat versari circa mysteria Redemptoris Christi, eiusque in nos beneficia: sed tantum circa subtiles quasdam considerationes mysteriorum Christi, aut quædam eorum antecedentia, & conse-

quentia, quæ salua fidei compage diuersè à diuersis intelligi & explicari possunt.

XV. Sed hæc si non est vafrities, in dissimulando dogmate non sano, est saltem in homine Papista, aut ignorantio suorum mysteriorum: aut à suis *συνουχίας* discessio. Certè, aut illa quæ iam recitauimus, recantanda sunt aut hoc commentum explodendum. Nam primo, Patrem esse maiorem, prioremue Filio, aut Trinitatis personas spatio locorum distare, quis est tam hospes in Christianitate, vt numeret in ijs, quæ salua fidei compage diuersè possunt à diuersis intelligi: Nisi forte & Arrianos, & Antropomorphitas placet restituere. Et illa tamen cadere in fidem implicitam putarunt Scholastici. Deinde, hoc genus implicitæ fidei, in omnibus est Christianis, etiam doctissimis. At Scholastici fidem suam implicitam, non omnibus tribuunt, sed stupidioribus, aut saltem imperitoribus. Testem habeo Thomam, qui Afinis. Secunda 2. q. 2. art. 6. *Minores, qui significantur per asinos, debent in credendis adharere maioribus, qui per boves significantur.* Tertio, si in rebus esset: quæ diuersè pollunt à diuersis intelligi: ergo non in ijs, in quibus debent alij alijs adharere. At Thomas in his diserte ponit, in quibus minores debent maioribus adharere.

XVI. Hanc igitur ita descriptam implicitam fidem non possunt admittere Catholici, quamuis alioquin confiteantur non omnia explicatè sciri; (adeo vt ne Caluinus quidem hoc sensu, implicitam fidem recusarit nominare) quamdiu peregrinamur in hoc mundo: non solum, quia multa nos latent, sed quia multis errorum nebulis circumdati, non omnia assequamur ne quidem *ἡ δὲ ὄν*. Veruntamen hoc quicquid est impliciti, defectum esse fidei, longè autem esse aliud de fidei natura disputare, quam credentium imperfectionem considerare. Si quis quid non noverit, quod debeat credere, imputetur hoc ei, nihil erit absurdi: sed ex eo multiplicari species fidei, indignum est sano cerebro.

XVII. Interea Caluino facit iniuriam Bellarminus: facit & Vasques, c. 3. disput. 209. in 1. 2. quem dicunt affirmate, non ignorantia nec sensus nostri submissione, sed cognitione certa & exploratâ regnum caelorum adiri. Cum contra sensus submissionem omnino crediderit necessariam, & adeo quidem necessariam, vt absque ea fides constare non possit: etsi subijci sensus nolit creaturæ vlli: sed Deo soli. Certam autem & exploratam cognitionem nunquam aliter vsurparit in hoc argumento, quam quomodo nos explicuimus. Tantum ergo geminum insectatur Papistarum, non tam errore, quam stuporem. Et credi aliquid, quod omnino ignoretur, atrum sit an album: & credi rursus sub conditione, si ita videatur Ecclesiæ, quem in stuporem qui deuenerint, eos prolixè ignorare quid sit fides: ac ne omnes quidem Papistæ quotquot suat, erunt, si conferant operas, persuadeant cuiquam sano.

CAP. VI.

Argumenta à Scripturis Papistica fidei implicitæ.

I. QVI de fide implicita ex professo tractatit, vnum vidi Bellarminum: alterum Andradium lib. 2. Orthodox. explic. tertium Greg. de Valentia in 2. 2. quæst. 2. punct. 3. Nam Vasquem disputantem de perfecta intelligentia non egissis annueram. Scholasticos, qui attingunt in distinct. 2. 5. 3. Sententiar. mirer, si quis sit tam *ἡ δὲ ὄν*, vt patiarur se mouere, magis occupatos in distinctionum quilibet, quam in rationum vel specie.

II. Bellarmino primum argumentum ex Esaia 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Vnde putat aperte confici, fidem non esse intelligentiam, sed viam, gradumque ad intelligendum, quomodo videlicet Aristoteles, *διὰ τὸν μαθηματικὸν τὸν πρῶτον.*

III. Respondeo: Primo hunc locum citari ex editione Græca, cui hærebatur Editio Latina, illa vulgaris olim ante Hieronymum. Hebraicè, *אם לא האמינו כי לא האמינו*. Vbi geminatur verbum ad eadem origine variè deslexum. Ac prius quidem constat vsurpari pro eodem quod Græci *πιστεύουσιν*, Latini dicunt *credere*, & sic est ab omnibus expressum.

IV. Sed alterum vt verteretur, per *intelligere*, causam videre non possum. Hieronymus certe aliter, non *permanebitis*, Cui consentit Paraphrastes, qui vertit *מוחך*. Et vero, vt ex alijs locis constat, hoc aut certe vicino sensu in vsu erat apud Hebræos: ipsi etiam testibus Septuaginta; 2. Samuelis 7. *ἡ σὺ δὴ οἶκός σου*, Chaldaus, *ביתך* Et firmabitur, siue, *firma erit, stabilietur domus tua.* Prior. Regum 8. *πισθήτω δὲ τὸ πρῶτον σου: Firmetur verba tua.* Prior. Chronicor. 17. *πισθήτω ἡ σὺ εἰς ὄν*. Confirmetur in perpetuum. Denique nusquam quisquam, exceptis Septuaginta vnicò hoc loco, vertit *Intelligere*. Itaque hoc argumentum nullum est à Scriptura.

V. Secundo, velim doceri ex quo Dialecticæ genere hæc sit consequentia: Nisi credideritis, non intelligetis. Ergo fides non est intelligentia, sed gradus ad intelligendum. Quasi quis diceret, Si non sit animal rationale non est homo: Ergo animal rationale gradus est ad hominem. Si non habet principium motus, non habet animam: Ergo principium motus est gradus ad animam. Infinita sunt eiusmodi. Sciunt autem vel pueri, hoc genere enunciatorum, aliquando sublati causis tolli effecta, & antecedentibus consequentia, aliquando contra, sublati effectis, & consequentibus tolli causas, & antecedentia. Illo modo, si non est calidus, non calefacit, altero, si non illuminat, non est dies. Itaq; argumentum nullum est certū.

VI. Contra potius. Quia non solet hoc genus consequentiæ firmum esse, à negatione antecedentis ad negationem consequentis, nisi termini reciproci: vt Sol supra horizontem, & dies: Alterum necesse erit vel intellectum esse ante fidem: quomodo, si non sit homo, non est animal, quod contrainapte diceret, si non sit animal, non est homo, vel saltem recipiari fidem & intellectum: quomodo, si non mouetur, non viuunt. Vt in a. modo, fides nulla est absq; intellectu. Et ita videntur hoc loco esse vsu Hiero. & Cyril. Ille. *Quia quæ Dominus dixit, futura non creditis, intelligetis*

XXIV. Rursus Gregorius. Apostolus ad Rom. 12. & 1. ad Corinth. 12. describens membrorum varietatem, quæ sunt in Ecclesiâ corpore, *Omnia, inquit, membra non eundem actum habent. Si totum corpus oculi, ubi auditus? At si omnes fideles æquè explicitè deberent omnia per fidem cognoscere, omnes deberent esse oculi?*

XXV. Rursus extra oleas. Quis enim dixit teneri omnes fideles æquè explicitè credere omnia, & cognoscere? Imo hæc nulla nostra controuersia est. Quid igitur importunus est Sophista? Quid illud nobis Iesuica? Aut probet ignorantum esse fidem, aut taceat. Nobis in tam serio negotio non libet nugari.

CAP. VII.

De argumentis Papiſticis à ratione.

I. Rationem vnicam Bellarminus inuenit. In credente sunt Apprehensio, & Iudicium siue Assensus. Illa non est fides, sed aliud fidem præcedens. (Breuior maluit non spectare intrinsecè ad fidem, quia infideles etiam possunt apprehendere mysteria fidei. Præterea apprehensio nõ dicitur propriè notitia, si sit rudis & confusa: distincta autem & perspicua non necessario requiritur ad fidem, quia fieri possit vt Philosophus concipiat distinctè subtilissimèque mysterium Trinitatis, & tamen non credat, & contra Catholicus rusticus tantum confuse apprehendat, & vere credat. Iudicium autem sequitur vel euidentiã rei, & rationem: vel autoritatem dicentis: illud dicitur notitia: hoc fides: teste Augustino, de Vtilitate credendi, c. 11. *Quod intelligimus aliquid, rationi debemus, quod autem credimus, autoritati.* Ergo, inquit, Bellarminus, fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam definitur.

II. Respondeo, variè peccari, Primo, apprehensionem non pertinere ad fidem, siue non esse fidei intrinsecam, sed tantum præcedere. Hoc enim falsum est, quandoquidem fides non possit esse sine notitia: nec notitia sine apprehensione. Nec valet ratio, quia infideles possunt apprehendere, siue nosse. Nam hoc significat duntaxat, latius patere notitiam quam fidem: id est, non omnem notitiam esse fidem. Sed non conficit tamen omnem fidem, non esse notitiam. Quemadmodum, non omne quidem principium vitæ, est anima rationalis, quia bruta habent principium vitæ, quæ tamen non habent animam rationalem. Sed nihilominus principium vitæ, & pertinet ad animam rationalem, & est ei intrinsecum, nec eam præcedit.

III. Secundo, apprehensionem non distinctam, non dici notitiam, non debet simpliciter concedi. Notitiæ enim distinctio, propriè significat eum obiectum ita cognoscitur, vt discerni possit à reliquis: siue cum intellectu determinatus est ad vnum aliquod obiectum. Non autem, quando omnes eiusdem obiecti, aut partes, aut causæ examinantur. Sic Leonem distinctè nouit, qui discernere potest à Tygride, & Pardo, & Vrfo, & Lupo: et si non possit discernere, quicquid ad Leonis naturam particulatim spectat: exempli gratia, vnum habeat intestinum (quod de lupo affirmant) an plura. Ita omnino distinctè nouit articulos fidei, qui sigillatim confitentur, & scit aliquantum discrimen esse inter Christi nauitatem, & resurrectionem: inter hominis peccatum, & iustificationem, & præcipuè inter vnum Deum & *πολυθεϊαν*: inter vnum Mediatorem Christum, & multos mediatores sanctos.

IV. Hoc cum ita sit, dico illam notitiam rudem & confusam, quæ neque vnum articulum distinguat aut à diuerso, aut ab opposito, cuiusmodi illam esse oportet implicationem, pro qua pugnant Papiſtæ, nullo modo dici posse aut notitiam, aut apprehensionem, neque esse quicquam ei commune cum fide.

V. Nec valet argumentum à Catholico rustico. Quia aliud est rusticus, aliud fides, neque debent personæ defectus transferri in ipsam naturam fidei. Quid malum? Dialecticos videmus quotidie alios doctiores, alios imperitiores nec tamen quisquam Dialecticam distinctam in peritiam, & imperitiam: Physicos alias subtiliores, alios tardiores, nec tamen Physicam aliam subtilem, aliam tardam, & quia credentium alios numeramus, alijs minus prouectos, inde Theologus conficiat fidem aliam inuolutam: aliam explicatam: Alienam à bona mente. Habent huiusmodi rustici veram fidem, fateor, sed imperfectam: sed quomodo, qui pedibus est truncus & manibus, habet verum corpus humanum.

VI. Tertio, iudicium concedo alias sequi euidentiã rationis, alias autoritatem dicentis. Et concedo illud non pertinere ad fidem. Sed illud dici propriè notitiam, non concedo: nam contra vsus est Verbi Dei, notitiam appellantis, hoc ipsum fidei iudicium, innixum soli autoritati dicentis. Nec vero aliter Augustinus: nam is non nosse dicit, sed intelligere, & hoc quidem non quouis modo, vt paulo post explicabimus.

VII. Andradius habet duas rationes ab absurdo: quarum vna hæc est: Qui implicitam omnem fidem execratur, annon satis prodit, se aut sola illa Scripturæ loca vera esse existimare, quæ intelligit, aut arbitrari omnia illius penetralia ita lustrasse, secretaque ita habere cognita & animo comprehensa, vt nullius intelligentiam desiderare possit? Quæ inlania maior esse potest? Consequentia fundamentum substernit, quia fides implicita sit, credere omnia vera esse quæ docentur in Scripturis, etiam si non sint cognita.

VIII. Respondeo, negari consequentiam. Nam nos ipsi, qui fidem implicitam vllam esse negamus, confitemur tamen multa ignorari à fidelibus: & nos censemus longe abesse ab ea perfectione scientiæ, quæ æsequata sit omnia, quæ in Scripturis continentur. Ratio negandæ consequentiæ, certissima, quia fides omnino dici non potest, quæ prorsus ignorat. Quomodo visus nullus vbi quid non videtur.

IX. Ad rationem consequentiæ dico, Sophistas posse abuti vocabulis pro arbitrio: sed cordatorum esse, non pati sibi facile hac arte imponi. Nego igitur fidem implicitam esse, cum creduntur vera esse omnia, quæ continentur in Scripturis. Nam fides implicita dicitur respectu ea-

rum rerum, quæ ignorantur. At credere omnia esse vera, quæ continentur in Scripturis, dicitur respectu rei, quæ non ignoratur, nempe vera esse illa ipsa. Itaque etsi verum hoc sit, tamen falsum est, ea credi, quæ cum sint in Scriptura, tamen ignorantur: ideoque falsum debere propterea fecari fidem in explicitam, & implicitam. Quomodo, etsi dicam, & vere dicam, me vidisse regionem aliquam, cum tamen sit verum me non vidisse quicquid in ea est regione: tamen adeo alienum est à communi sensu visum distinguere, in implicitum, & explicitum, vt si quis à me quærat, cum Galliam viderim, vtum in Gallia viderim vnum aliquem hominem, negem me vidisse. Et qui testis erit, apud Iudicem, eorum quæ gesta fuerint in tumultu, vere dicat se audisse temere contententes homines & vociferantes, neget tamen se audisse quid iste dixerit: neque tam absurdus erit, vt dicat, Audiui implicitè, at non audiui explicitè, sed, vt dixi, prorsus negabit se audisse. Omnino ad eam rationem, qui credit vniuersam Scripturam esse verissimam: tamen, si ignoret Pilatum fuisse præfectum Iudææ, negandus est credere Pilatum fuisse præfectum Iudææ.

X. Altera ratio est: Si nulla sit fides implicita, ergo nulla est salutis spes agricolæ, anui, vulgo. Quod est absurdum. Ratio consequentiæ, tum, quia sine fide impossibile est placere DEO, tum, quia id hominum genus fidem explicitam habere non potest: & hic rhetoricatur magnificentè. Vt reliquas gentes duras, agrestes, nullaque re magis quam mentis stupore insignes taceam, soloque Æthiopes commemorem, quorum plurimum iumentorum ruditatem potius quam hominum ingenium præferunt, adeo vt magna cum difficultate & assidua consuetudine vix Dominicam orationem, Apostolorum symbolum, præcipuaque fidei nostræ capita retinere aut capere possint: nullam ne illis salutis spem reliquam facias? Eodem argumento, sed contractiori, pugnat Gregorius de Valentia.

XI. Respondeo, negari consequentiam. Quia nullus sit tam rudis homo, tamque crasso ingenio, vt fidem nullam explicitam habere possit. Atque adeo ipsos illos suos Æthiopes, vix hominis ingenium referentes, magisque iumentorum tarditate insignes, tamen agnoscit posse retinere Dominicam orationem Apostolorum, Symbolum, præcipuaque fidei mysteria. Nemo igitur tam stupidus, vt nullam habere fidem possit, etiam quam Papiſtæ explicitam appellant. Quæ ergo necessitas est consequentiæ, cuius gratia putauit sibi Andradius rhetoricandum? Quid? quod experientia docet nos quotidie, id ipsum quod de immani stupore Papiſtæ declamant, meram esse docentium negligentiam? Compertum est enim infimos quosque in plebe, si diligenter erudiantur à pastore, posse eadem ipsa arcana concipere, quæ etiam doctissimi assequuntur.

XII. Fateor vero nunquam futurum, vt omnium sit eadem Fidei mensura. Sed qui dixit neminem posse placere DEO sine fide, non intellexit in omnibus vnam eandemque mensuram, sed suam cuique: dum sit Christianæ fidei mensura. Et falsum est, eum non credere, qui non sit summo gradu credat Marci 9. *Credo Domine: succurre incredulitati meæ.* Qui autem credit, quanquam infirmus sit, tamen explicitè credit. Et gratus est Deo, quia credit, propter id ipsum, inquam, quod credit, id est, initia habet fidei. Nimirum, quia nemo DEO placet ex merito fidei, sed ex misericordia, quæ defectus dimittit: vt nihil sit necesse confugere ad implicitam fidei monstrum, quo nihil potuit sophisticè fingere absurdus.

CAP. VIII.

De Argumentis ex Patribus.

I. EX Patribus Bellarmino primus est Irenæus lib. 2. c. 45. *Melius est nihil omnino se entem credere Deo, & perseverare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, quam per questionum subtilitates, & multiloquium in impietatem cadere.*

II. Sed Irenæo nimis quam familiariter Bellarminus abutitur, etiam lacero disceptoque. Integrum vide, ex editione Feraudentij, *Melius est, nihil omnino scientem quempiam: ne quidem vnam causam cuiuslibet eorum quæ facta sunt, cur factum sit, credere Deo: & perseverare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, nec aliud inquirere ad scientiam nisi Iesum Christum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est: quam per questionum subtilitates, & multiloquium in impietatem cadere.* Vastitatem vide, *Nihil omnino scientem*: dices iam tum ab Irenæo fundatum ordinem Fratrum Ignorantium, cui hodie non est bullum in Papiſtis nomen: Etiam recens in Galliam translato ex Italia. Sed Irenæus explicuit, *ne quidem vnam causam eorum quæ facta sunt*: nempe vt indicaret, qua descientia loqueretur: nimirum, quæ cuiusque rei causas anquirat, quam nos *ro diuini*, appellauimus. Deinde, *Credere Deo*: at Irenæus, *Cur factum sit, credere DEO.* Viden' quantum discrimen? Nam illud credere DEO, indefinitum est, & nihil determinat: at Irenæus illud credere determinat ad vnum aliquid & certum, *Cur (& hoc credo esse pro Græco ὅτι, quod factum sit. Quæ quidem est cognitio ὅτι.*

III. Non igitur fidem distinctit Irenæus ab omnimoda notitia: sed ab ea tantum, quæ causas inquirat ὅτι. Illam vero, quæ simpliciter acquiescit ὅτι, omnino supponit: imo non supponit, sed exprimit. Nonne enim illud audis, *Nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Iesum Christum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est.* En tibi inquirere Christum, & inquirere ad scientiam. Vitet ergo sane Fides questionum subtilitates, sed inquirat Christum, & inquirat ad scientiam. Quod non facit fides implicita. Itaque fides implicita non nouit Irenæus.

IV. Sequitur Clemens Alexandrinus, Pædagogus c. 11. *Fides non sapientum secundum mundum, sed eorum qui secundum Deum sunt sapientes possessio est. Illa autem etiam absque literis discitur. Eius autem scriptum, quod ὅτι ad rudes, & ad ignorantes pertinet, & est diuinum; Charitas vocatur.*

V. Mirum acumen ! Fides non est sapientum secundum mandum. Ergo non est notitia. Fides dicitur absque literis : Ergo non est notitia. Recte, si nulla sit notitia, nisi sapientum huius mundi : nulla, nisi à literis. Sed utrumque falsum. Nec longe arcessendum argumentum, quod ipse locus exhibet. Agit enim Clemens aduersum eos qui stupiditatem suam excusabant, quod nescirent literas : & respondet iuperesse auditum, per quem possint erudiri. *Γρηγορίου, φήσιν, ὅτι ἔμαθον. Literas, inquit, non didici.* Hæc stupidorum obiectio, pro fide implicita. Clemens pro fide explicita, *ἂν δὲ εἰ μὴ τὴν ἀποστολικὴν ἔμαθες, τὸ ἀκούειν ἀπολόγητο ἢ ὅτι μὴ διδάκται :* Atqui si legere non didicisti, non est quod de auditu excuses non posse doceri. Intellexit ? Excusabat ille quisquis erat, ignoracionem suam : quod literas non didicisset, respondet de auditu non posse excusari, ὅτι μὴ διδᾶται, id est, quod non sit aptum instrumentum, quo doceri aliquid possit. Itaque statim ἢ ἕως ἐν ἑαυτοῦ σκεπτικῶν. *hæc fides sine literis aiscitur.* Audin', discitur ? Et tu mihi, Bellarmine, omnem cognitionem eliminabis ? Profecto hæc nulla mens fuit Clementis.

VI. Postea est Hilarius octauo de Trinitate, *Habet non tam veniam, quam primum, ignorare quod credis: quia maximum stipendium est fidei, sperare qua nescias.*

VII. Dura verba fateor : si nullum alium capiant sensum, quam quem primo statim auditu ostentant. Sed profecto non ita sensit Hilarius : non sensit, inquam, omnimodam ignoracionem rei, consistere cum fide. *Nec enim, inquit eodem libro, quisquam quod non sapit, loquitur : nec quod loqui non potest, potest credere.* Ergo, inquam, iudice Hilario, qui credit aliquid, hunc oportet illud ipsum sapere. At qui penitus ignorat, id quod ignorat non sapit. Itaque illud ignorare puto opponi non scientiæ in vniuersum, sed scientiæ humanæ, quatenus hæc omnia metitur ex captu suo, vt id se intelligere dicat, cuius capiat vniuersam rationem. Quod genus intelligendi crebro summouet à fide Hilarius, vt libro primo : de mente in nouam natiuitatem per fidem vocata : cognoscenteque curam in se parentis sui, creatorisque, neque redigendam se in nihilum existimante per eum, per quem hoc ipsum quod est, ex nihilo substituit : *hæc omnia, inquit, ultra intelligentiæ humana metiens sensum : quia ratio communium opinionum consilij cœlestis incapax, hoc solum putet in natura verum esse, quod aut intra se intelligat, aut prestare possit ex sese.* Dei autem virtutes secundum magnificentiam æterna potestatis, non sensu, sed fidei infinitate pendebat : vt, Deum in principio apud Deum esse, & Verbum carnem factum habitasse in nobis, non idcirco non crederet, quia non intelligeret : sed idcirco se meminisset intelligere posse, si crederet. Si ergo ignorare sumas, pro non intelligere, hoc modo qui nunc explicatur, & quomodo Augustinus sumit ne scire, paulo post, nihil est difficile, sed id longe abest à fide implicita.

VIII. Augustinus Hilario substituitur, Epist. 102. ad Euodium, *Si propter eos solos Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt ista discernere, pene frustra in Ecclesia laboramus.* Contra Epistolam Fundamenti c. 4. *Turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tuiissimam facit.* In Ioannem tract. 27. intelligentiam mysteriorum dicit esse præmiū fidei : Tractatu quadragesimo, *Non quia cognouerunt, crediderunt, sed vt cognoscerent crediderunt. Quid enim est fides, nisi credere quod non vides.* Serm. 289. de Temp. *Considera, quod voceris fidelis, non rationalis. Deniq, accepto baptismo hoc dicimus, fidelis factus sum, credo quod nescio.*

IX. Sed enim vnde factum, vt tam pauca hæc seligerentur ab infinitis, quæ in tanti viti operibus occurrunt ? Vix enim est apud eum quicquam frequentius. Causam facile video : nempe vt facilius laicibus esset, non plene explicata mente autoris. Nam ille certe fidem implicitam, quam definiunt Papistæ, in cæco assensu positam, & oppositam cognitioni cuiusque, fidem, inquam, illam, Carbonariam, non magis cogitauit, quam Chimæras, aut Trigelaphos, quod me oportet docere, his argumentis.

X. Primo, Papistæ fidem Christianorum distinguunt in fidem implicitam, & explicitam : at Augustinus non distinguit : sed potius vniuersaliter separat fidem & cognitionem, ita vt credere, non dicatur qui cognoscat : vno verbo omnes Christianos, credere, quia non cognoscant, siue intelligant. Patet, de Tempore serm. 189. eos coegerit, qui vellent naturam Dei nosse : quod fieri non possit, *Lutum & vas figuli de creatore disputat, & ad naturam suam rationem non potest peruenire, & curiose quarit scire de mysterio Trinitatis quod Angeli in cælo scire non possunt.* Et post, *Vis scire naturam Dei ? hoc scio quod nescias, ne in hoc contristeris quod nescias, quia & Angeli nescierunt, & similiter omnes creatura.* De Agone Christiano c. 13. *Talis vita (hanc intelligit) non potest puram illam & sinceram & incommutabilem videre veritatem, & inhære illi, & in æternum iam non moueri. Itaq, prius quam mens nostra purgetur, debemus credere, quod intelligere nondum valeamus : quoniam verissime dictum est per Prophetam, Nisi credideritis, non intelligetis.* Itaque hoc illo ipso serm. de Tempore, *Considera quod voceris fidelis, non rationalis. Deniq, accepto baptismo, hoc dicimus, fidelis factus est, sine factus sum, credo quod nescio, & propterea me scio nescire quod nescio.* Ergo hæc fidei est natura omnium Christianorum, vt credant quod nesciant : non vero tantum asinorum, quod Papistæ volebant.

XI. Secundo, Non putauit Augustinus : hanc ignorantiam esse omnimodam : hoc est, eiusmodi quæ tolleret etiam sensum & ratiōem. Imo credidit hunc poni. Sermone illo ipso de Tempore, *Nobis sufficiat scire de Trinitate, quod Dominus exponere dignatus est.* Et post, *Sed requiritur à me, quomodo vno nomine tres appellantur ? Nescio, & libere me nescire profiteor. Quod Christus voluit indicare, hoc solum scio : quia in hoc Christianus sum, quia vnum Deum in Trinitate confiteor.* Iterum, *Quando venerit cogitatio, & proposuerit, Quid est Deus, & quæ est ratio Trinitatis, nobis sufficiat credere, quia est, & non temere rationem quarere Trinitatis.* De vtilitate credendi, c. 11. *Credo enim sceleratissimos coniuatos virtute Ciceronis quondam interfectos : atqui id non solum nescio. Soliloquiorum 1. c. 4. Dixi non quæ intellectu comprehendit sed qua vnde cumq, collecta memoria mandauit, & quibus accommodandi quantum potui fidem.* Intelligin', quanto distet spatio Augustinus à Papistis ? Nam hi nolunt actu vllō intellectus hoc ipsum comprehendendi, quod creditur fides implicita : sed tantum vniuersali aliquo habitu. At Augustinus Trinitatem voluit credi, quod sit, etiam si ignoretur eius ratio. Et credere se testatus est, coniuatos compressos à Cicerone : etiam si id

nesciret. Quæ omnino nostra confessio est : at vero Papistarum nulla.

XII. Tertio : illud nosse, illud intelligere, quod fidei denegat, nihil aliud concipit, nisi *ὁρίζω τὴν πρᾶξιν, & ὁρίζω τὴν ῥησιν*, & *ὁρίζω τὴν ῥησιν* rationis, quæ autoritati nihil deferebat. De vtilitate credendi, cap. 4. *Qui non intelligit multum interesse, vtrum aliquid mentis certa ratione teneatur, quod intelligere dicimus : an fama vel literis credendum posteris vtiliter commendetur, profecto errat : neq, quisquam error turpitudine caret. Quod intelligimus, igitur debemus orationi, quod credimus, autoritati.* Itaq, ser. illo de Tempore, indignabatur velle aliquem scire naturam Dei : & posuit credendum, quia sit Trinitas, sed negavit inquirendam rationem.

XIII. Primum igitur Augustinus, omnem fidem Christianorum putauit esse ignorantiam, nullam in cognitione, siue intelligentia. Et si per fidem aditum esse ad cognitionem & intelligentiam saepe dixerit. At Papistæ fidem distinguunt in ignorantem, & cognoscentem. Secundo Augustinus fidem illam, cui nescientiam assignat, ponit tamen tamen scire id quod Deus reuelauit. At Papistæ implicitam fidem in eo constituant, vt ignoretur id, quod reuelatum est de singulis articulis. Tertio, Intelligentiam, quam separat à fide, vult esse per euidenciam rationis : at Papistæ non sunt hac contenti : sed volunt comprehendere, quæcumq, cognitionem rei. Quis non videt igitur abuti Bellarminum huius Patris nomine, à cuius mente tam procul abeat : Nobis profecto cum Augustino conuenit, qui nullam fidem dicimus esse, absque noticia eius veritatis, quæ est fidei obiectum, et si hæc notitia non sit exacta, & à causis rei. Cæterum Carbonariam illam Hofij, & Afinniam Thomæ à Christianitate exterminantes.

XIV. Neque aliter credamus apud Prosperum, non fidem ex intellectu, sed ex fide intellectum existere, cap. decimo nono primi de vita contemplatiua. Nempe, vt quæ initio nuda cognitio est rei, postea assurgat, & penetret altius, nimirum vt distinctius videat, quare credat, supposita nihilominus non *ὁρίζω τὴν πρᾶξιν* rei, sed certitudine autoritatis, quod sit per analogiam fidei.

XV. Gregorij boues & asini, si quid haberent aduersarium veritati, non valde mouerent : quid enim magni momenti habet frigida allegoria, cuius vnica ratio, *Quid aliud per boues, quid aliud per asinas ?* Frequentissima apud illos interrogatio, qui per rhetoricam Communicationem plausibilem aditum parant, etiam portentosissimis commentis. Sed nihil tamen Gregorius aduersum nos. Verba describo, quæ maluit interpolare Bellarminus. *Quid aliud in figura per boues, quam bene operantes : quid aliud per asinas, quam quosdam simpliciter viuentes accipimus ? Quæ bene iuxta boues pacifice referuntur : quia mentes simplicium etiam cum alta capere non possunt, eo magis vicina sunt, quo & fraternam bonam suam per charitatem credunt : cumque inuidere alienis sensibus nesciunt, quasi in pastu se minime diuidunt. Simul ergo se asina cum bobus reficiunt, quia prudentibus coniuncti tardiores, eorum intelligentia pascuntur.* Hæc Gregorius : in quibus de fide implicita nihil profus : sed de bobus, & asinis tantum, id est, prudentibus, & simplicibus, siue tardioribus. At quis efficiat ita fidem à fide distare, vt credentes à credentibus ? Quis concedat sequi, si quis habeat fidem, & tamen aliqua non capiat, propterea fidem non nosse ea quæ credit ? Rursus, etiam si de fide sermo esset, tamen non omnis cognitio negatur, sed tantum aliorum intelligentia.

CAP. IX.

Contra Ignorantiam Fidei.

I. IN nostris argumentis tanta supinitas Bellarmini fuit, tanta Vasquis, vt vnicum scripserint obiectum à Caluino : cui si quid responderent, putarent satis se superque functos officio. Hoc quid sit, primum videbo.

II. Dixit ergo Caluinus : Si Paulus seuerè eos damnat, qui semper dicentes, nunquam ad scientiam veritatis perueniunt, quanto grauiorem ignominiam merentur, qui, data opere, affectant nihil scire ? Hoc Bellarminus negat ad rem facere : quia tameti distinguatur fides à scientia : tamē hæc utilis sit & laudabilis : itaq, sicut laude digni sunt, qui discendo proficiunt : ita merito reprehendi, qui semper discunt, & ad scientiam nunquam perueniunt.

III. Sed Pauli verba fuerunt attentius consideranda. Is loquitur primo de Viduis, non de viris, aut etiam doctoribus. In his viduis non probat Paulus, quod semper studentes, ad cognitionem veritatis nunquam peruenirent. Non opinor, quod studentes : quod notauit etiam Iustinianus : sed quod non peruenirent ad eam cognitionem. Existimauit ergo reprehensione dignam hanc tarditatem. Cui loco comparari potest ille ex ad Hebræos 5. *Vos enim, quos oportuit pro temporis ratione doctores esse, rursus opus est doceri, quæ sint elementa initiij eloquiorum Dei.* Sed ille tamen potentior, quod viduz in eo sint hominū genere, quibus maxime putant Papistæ satis esse fidem implicitam. Enimvero, si verum, probrosam esse etiam viduis ignorantiam rerum fidei, quis fidem implicitam possit probandam asserere ?

IV. At, inquit Bellarminus : scientia est vtilis, & laudabilis. Nimirum hoc expectabatur vt hanc aliquis & inutilem assereret, & damnaret. Sed quid ad rem ? Nam Paulus hoc loco non laudat eos, qui peruenissent ad eam scientiam : sed vituperat, qui non peruenissent. Imo, inquit, si laudandi qui peruenierunt, ergo vituperandi, qui non peruenierunt. Est, inquam, ita : sed tum, si contra officium sit non peruenire. Nam, si non sit, importuna vituperatio est. Patet exemplo. Si laudandi qui virginitatem colunt, an vituperandi qui matrimonio vtuntur : Si laudandi, qui Græcè & Hebraicè notunt, an propterea increpandus Antonius, qui literas nesciebat ? Deniq, Papistæ, nemini laicorum fidei implicitæ obijciunt ignorantiam Non est igitur ratio Bellarmini bona : vtilis cognitio : ergo sicut laudandi, qui ad eam perueniunt, ita vituperandi qui non perueniunt. Non est, inquam, hoc verum : nisi ponas oportere ad eam perueniri. At hoc si ponas, non potes fidei asininx consulere. Itaque bene Caluinus.

V. Vasqui displicuit hæc Bellarmini solutio, quæ concedit distingui fidem

fidem a scientia: tum enim non fore nullum Caluini argumentum. Quid eigo ipse excogitauit? Scientiam non vsurpari pro perfecta intelligentia mysteriorum, quae maior est quam simplex assensus fidei, nec discipulos, fideles qui veram fidem iam habent: sed scientiam pro cognitione & vera fide: discipulos pro discipulis, qui semper aliquos audiant praecceptores.

VI. Sed certum ne, qui alius dormiant, eos doctus somnare: Viderint alij. At Iustinianus siue dormiens, siue somnians non est coaccessurus Vasqui siue dormienti, siue somnianti: Nam Iustinianus hanc scientiam intellexit perfectam, in paraphrasi: *Qua cum sciendi cupiditatem praetulerant, adeoq; quotidie multa discant, nunquam tamen perfectam veritatis scientiam assequuntur.*

VII. Veruntamen nostram hanc litteram nos non facimus. Et consentimus potius Vasqui, nullam nominati scientiam aut perfectam, aut maiorem fidei assensu: ne discipulos quidem eos qui veram fidem habeant. Sed quid inde argumento decedat, cur tam supinus Vasques fuit, ut oblitus sit docere: Nam perfectam cognitionem iam protestantibus nullam nos quaerere, nullam agnoscere. Maiore assensu fidei, qui possumus dicere, qui ipsum assensum fidei dicimus esse scientiam? & hanc scientiam, quam Paulus improbat, non assequi eas, quae semper discunt? Vno verbo, admittimus discipulos eos esse non qui fidem veram habeant, sed qui semper audiant praecceptores. Itaq; Paulo didicimus idem esse, non peruenire ad scientiam veritatis, & non habere fidem: unde necessario conficitur, fidem non posse esse absq; scientia: quod nos contendimus.

VIII. Pergo ad alia, quae Bellarmino dissimulare fuit expeditius, quae solvere. Nam Caluinus ponit tum nos salutem consequi, cum agnoscimus nobis esse propitium Patrem, reconciliatione per Christum facta. In eo haec vis argumenti est. Vnicum medium obtinendi salutem est agnoscere Deum nobis propitium per Christum. At fides est unicum medium obtinendi salutem. Ergo fides est agnoscere Deum nobis propitium per Christum. Maior probatur ex disertis Christi verbis. Ioannis 17. *Hac est vita aeterna, ut te esse illum solum verum Deum cognoscant, & quem misisti Iesum Christum.* Minor est certa: nam etiam Papista negent solam fidem iustificare: tamen non negant esse medium ad salutem: & quidem tale, ut sine eo salus sperari nequeat. Inde Cyrillus in illum locum, *Radice*, inquit, *atq; originem aeternae vitae fidem esse verae pietatis virtutem esse affirmat.* Villagudus, *Ego do his, quos mihi dedisti, vita est in hoc quo per fidem vitam cognoscunt te.* Maldonatus, *Quid est causae, cur in sola cognitione, id est in sola fide vitam aeternam ponere videatur? Ianfenius, Vita aeterna inchoatim imperfecte hic habetur, cognoscendo Deum per fidem.* Et olim Nouatianus de Trinitate: *Si homo tantummodo Christus, quare credendi nobis talem regulam posuit, quo diceret, Hac est aeterna vita.*

IX. Iterum Caluinus. Quum dicit Apostolus, corde credi ad iustitiam, ore confessionem fieri ad salutem, ad Roman. 10. non satis esse indicat, si quis implicitè credat quod non intelligat, nec etiam inquirat: sed explicatam requirit diuinæ bonitatis agnitionem, in qua consistit nostra iustitia. Argumentum: Quicumque confitetur ore, is mente cognoscit ar quicumq; tradit, etiam confitetur ore: ergo quicumq; credit, etiam mente cognoscit. Maior est extra controuersiam: quia *τις ἐστι φωνὴ ἢ ἔργον ἢ τὸ πνεῦμα τῶν ἁγίων;* nec imaginatio concipi potest, quomodo quis de eo loquatur, cuius imaginem nullam habet in mente. Imago autem non est quid vagum, sed determinatum ad vnum id cuius est imago: unde fit, ut intelligentia pestis sit confusio.

X. Minor autem probatur ex ad Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Cui addo ex 3. prior. Petri, *Epistole semper parati estis ad respondendum cuiilibet potenti rationem eius spei, qua in vobis est.*

XI. Nam quod in priore loco Stapletonus Aristoteli in Epistolam ad Romanos contra Caluinum disputat, non necessario copulari fidei confessionem, nullam vim habet. Nam quid tum, si credidit Petrus, nec tamen confessus est interrogatus ab ancilla? Lucae 22. Quid tum, si ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Iudaeos non confitebantur: Ioannis 12. Nam quis negat, hominum peccato, illa etiam separati actu, quae Deus natura coniunxit? Certe Caluinus nihil aliud voluit, quam non posse veram fidem, non erumpere in confessionem, quocies ita res postulat: ideoque non esse censendam fidem eam, quae nunquam confiteatur. Et hoc ipsum nostrum sufficit argumentum. Nam certè, qui penitus ignorat id quod se dicit credere, nunquam potest id ipsum confiteri.

XII. Fulgentius cap. 1. primi ad Thrasimundum, *Apud eos, qui Christianae gratiae participatione redempti sunt, pene id est, fidem nolle asserere, quod negare.* Et post, *Nam cum de Deo res agitur, non leuis reatus est, si quod ad salutem pertinet, taceatur: Ita namque nos oportet corde ad iustitiam credere, & ore confessio fiat pariter ad salutem.* Chryostomus in Ioan. homil. 16. *Αποστολὴ τῆς ἰσχυρῆς ἀκροβυσθίας τῆς πίστεως ἀποκρίσθη τὸ αὐτὸ, καὶ ἡ σπουδαία μαρτυρία τῆς ἀποστόλου καὶ τῆς ἀποστολῆς τῆς τεχνικῆς τῆς χειρὸς ἐν αὐτῷ ἀποστόλῳ καὶ τῆς ἀποστολῆς τῆς οἰκίας παροχῆς πιστῆς.* Absurdum est: medicum quidem accuratè pro sua arte contendere: item coriarium, textoremq; omnesque artifices: at eum, qui se Christianum proficitur, non posse rationem reddere suae fidei.

XIII. Adhuc Caluinus. Admonendi sumus, perpetuam esse fidei relationem cum Verbo: nec magis ab eo posse diuelli, quam radios à sole, unde oriuntur. Si Fides & Verbum sunt relata: ergo nec fides sine cognitione esse potest. Probatur consequentia: tum quia relata sunt simul natura: tum quia Verbum, nulli vsui est, nisi ad ingenerandam cognitionem, est enim *συνεχόμενον*. Itaque ubi nulla est cognitio, Verbi nullae sunt partes. Probatur antecedens. Ad Roman. 10. *Hoc est verbum illud fidei, quod praedicamus.* Prior ad Timoth. 4. *Innutritus in sermonibus fidei.* Ad Ephes. 1. *In quo sperastis & vos, audito sermone veritatis, id est, Euangelio salutis vestrae: in quo posteaquam credidistis, obsecrati estis.* Ioan. 20. *Hac scripta sunt, ut credatis.* Marci 1. *Credite Euangelio.* Prior. Petri 4. *Quis finis eorum qui non credunt Euangelio?* Lucae 24. *Tardi corde ad credendum omnibus quae loquuti sunt Prophetae.* Ioan. 2. *Crediderunt Scripturae.* Actorum 4. *Multi eorum qui audierant sermonem, crediderunt.* Et 15. *Ut per os meum audirent Genes verbum, & crederent.*

XIV. Denique Caluinus: Non frustra Deus apud Esaiam cap. 54. haec nota discernit filios Ecclesiae ab extraneis, quod omnes erudiat, ut sint ab ipso edocti. Argumenti haec vis est: nulli edocti à Deo, ignorant ea quae sunt fidei. At omnes fideles sunt docti à Deo: Ergo non ignorant ea, quae sunt fidei. Maior per se patet: quia edoctum esse, & ignorare opponitur: non qui sem directè, ut scire & ignorare, sed tamen subordinatè, quia docetur nemo, nisi ut sciat. Atque adeo nemo ignorat, nisi qui aut non est edoctus, aut frustra est edoctus. Qui autem frustra docentur, in fidelibus censeri non possunt, quia abutuntur gratia DEI, quae sese offert.

XV. At fideles non edoceri, Minor negat. Et haec probatur Esaiæ 54. *Et ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Quod Christus reperit, & explicat Ioan. 6. *Scitum est in Prophetis: Erunt omnes docti à DEO.* *Quisquis ergo audiuit à Patre, venit ad me.* Inde est quod promiscuè nominantur, pro fidelibus, Discipuli: Actor. 6. *Cum multiplicarentur discipuli.* Et aduocat à multitudine discipulorum. Nono *Cum Saulus aduenisset Hierosolimam, tentabat se adiungere discipulis: sed omnes timebant eum, non credentes eum esse discipulum.* Et post, *Ioppe fuit quaedam discipula nomine Tabita.* Denique Discipuli prius, qui postea Christiani. Actor. 11. *Factum est ut annum totum conuenirent in Ecclesia, docerentque turbam, & discipuli nominarentur primum Antiochia Christiani.* Nimirum disertum erat Christi mandatum Matth. 28. *Μαθητεύσατε πάντας τὰ ἔθνη, δόξατε, siue discipulos facite, omnes gentes.*

XVI. Atque haec argumenta Caluini, quae strenuè Bellarminus dissimulauit. Addo alia. Primum. Ignoratio est mater erroris. At fides non est mater erroris. Ergo fides non est ignoratio. Minorem nemo negat. Maior probatur. Toletani Concilij 4. canon. 24. *Ignorantia mater cunctorum errorum: maxime in sacerdotibus Dei vitanda est.* Arelatensis sub Carolo Magno, *De Baptismo & mysterio sanctae fidei vniuersusque Archiepiscopus suos suffraganeos diligenter studioseque admovent, quatenus per studium sacrae lectionis imbui, & de mysterio sanctae fidei, & de sacramento baptismatis vniuersusque illum in propria parochia perfecte studioseque presbyteros, & vniuersum populum docere, & instruere non negligat: quia ignorantia mater cunctorum est errorum.*

XVII. Secundum. Nulla ignoratio est aut habitus, aut actus mentis. At fides est vel actus, vel certe habitus mentis. Ergo nulla fides est ignoratio. Maior patet, qui priuatio & habitus opponantur: ignoratio autem sit priuatio Patet minor: quia fides vel nominetur pro virtute, & sic est habitus, vel pro eius virtutis actu, qui est credere.

XVIII. Tertio, omnis habitus determinat facultatem suam ad obiectum suum secundum eiusdem facultatis naturam. At fides est habitus intellectus. Ergo determinat intellectum secundum eius naturam. Est autem ea intellectus natura, ut intelligat, quemadmodum memoria, ut meminerit, voluntatis, ut velit: & intelligere non potest, nisi cognoscat saltem *τὸ ὄν*. Ergo omnino fides determinat intellectum ad obiectum suum per cognitionem *τῆς ὄντος*. Porro fidem esse habitum intellectus non est controuersum inter nos & plerosq; Papistas, nam & Bellarminus disputauit, & nos asserimus.

XIX. Nec vero magis ambiguum esse potest, determinari intellectum ab habitu. Hoc enim necesse est, quando quidem habitus ipsi diuersi sunt & multi. Nimirum Physica, est habitus intellectus, hunc ipsum determinans ad res naturales: Astrologia, ad corpora caelestia: Arithmetica, ad numeros, sic de reliquis. Cur non etiam fides, ad res Theologicas. Enimvero si non determinata et ad suum obiectum, omnino non concipi non posset, quomodo esset habitus: distinctus à reliquis.

XX. Determinari autem intellectum, secundum suam naturam, quis dubitet? Nam si loqui necesse erit, vel non determinari, contra quam probatum: vel determinari secundum naturam aeternae facultatis: quod est absurdissimum. Praeterea patet ab exemplo reliquarum facultatum. Nam & voluntas determinatur secundum velle, & memoria secundum recordari, & visus, secundum videre, & sensus, secundum sentire, & similia. Tertio: quia haec determinatio per fidem, sit secundum discretionem veri & falsi: At haec discretio ad nullam pertinet facultatem, nisi ad intellectum.

XXI. Sed probatur eadem determinatio, ex huius habitus actu proprio, & ut loquuntur, elicito: nempe credere, quo certum est includi relationem fidei ad singulos. Quomodo enim videre, audire, meminisse, velle, cetera referuntur ad hoc, illud ueritate & credere. Quod probatur infinitis locis Scripturae: Matt. 9. *Creditis me hoc posse facere:* Mar. 11. *Crediderit futurum quae dicit Credite vos accepturos.* Lu. 24. *Tardi ad credendum omnibus: quae loquuti sunt Prophetae.* Io. 6. *Et nos credidimus, & nouimus te esse Christum Filium Dei uiuunt.* Et 11. *Quisquis uiuit, & credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? At illi. Etiam Domine: Credo te esse Christum Filium Dei, qui in mundum uenturus eras.* Et 16. *Per hoc credimus te à Deo prodisse.* Et 17. *Verè norunt me à te exisse, & crediderunt, me à te missum esse.* Et 20. *Hac autem scripta sunt, ut credatis Iesum esse Christum Filium Dei.* Actor. 8. *Dixit ei Philippus. Si credis ex toto corde, licet.* Respondens autem ille dixit, *credo Filium Dei esse Iesum Christum.* Ad Rom. 10. *Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitauit à mortuis, seruaberis.* Ad Heb. 11. *Fieri non potest, ut sine fide quisquam ei placeat: nam qui accedit ad Deum hunc, redere oportet esse Deum, & premia largiri iis qui ipsum requirunt.* Infinita sunt eiusmodi: & omnia significant illam, quam diximus, determinationem.

XXII. Sed fidem non esse sine noticia, ex eo etiam conficitur, quod Apostolus ad Hebr. 11. fidem describens, *Fides, inquit, est ἡ περὶ τῶν ἀφανῶν ὑποπόστασις, περὶ γὰρ τῶν ἐλεγχῶν ἡ βλεπόμενων ὑποστάσεων rerum subsistentia, & earum quae non videntur demonstratio.* De quo alias plenius erit dicendum. Nunc hoc sufficit Syrum reddere, *ἡ ἀφανῶν manifestationem* Chryostomus *ἡ ἀφανῶν ἡ πίστις ἀπὸ τῶν ἀφανῶν ἐλεγχῶν, ἡ βλεπόμενων, ἀποδείκνυσι ὅτι οὐκ ἔστιν ἀφανῶν ἡ πίστις, πῶς τῶν ἡμετέρας ἐλεγχῶν ἐπιπέσει τῶν ἐλεγχῶν τῶν ἀφανῶν.* Fides est Elenchus & demonstratio eorum quae non videntur. Demonstrat autem uisibilia fides ea, quae sunt inuisibilia. Quomodo? Mente & spe videns ea quae non apparent.

CAP. XI.

De Principibus non consentientibus: De dicentibus, Domine, Domine: De Inuitatis ad Coenam magnam: De bonis & malis in Ecclesia.

I. Primo arguit Bellarminus, quosdam esse, quos Scriptura testetur habuisse fidem absque charitate. De Principibus, inquit, Iudeorum ita scribitur, Ioannis 12. *Veruntamen multi ex principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur: dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.*

II. Respondeo dupliciter. Primo non posse hinc conueniri fidem esse sine charitate: sed tantum absque confessione: deinde absque amore Christi tanto, quantum debuit esse. Atqui non tantum sine confessione potest esse fides vera: sed etiam cum negatione, saltem externa, ut in Petro: qui fidei suae efficaciam testatus est etiam lacrymis. Petrus ergo tum negauit magistrum: & tamen non tantum credidit in Christum, sed etiam amauit Christum in corde suo: etsi tum minus amavit, quam suam vitam, cui voluit negando consuleret. Et certum est, non omnia effecta fidei sese omni loco, omni tempore exferere.

III. Secundo, nihil est necesse ea verba esse de vera & iustificante fide. Sed de eo gradu fidei, qui communis est etiam hypocritis: quomodo ipse Simon dicitur credidisse apud Lucam.

IV. Inurgit in hanc secundam solutionem Bellarminus: & primo, si sic liceat, inquit, interpretari Scripturas, nihil vnquam probari poterit. Sed hoc frustra. Nam contra, si sic liceat arguari à Scripturis, ut nulla admittatur distinctio, nihil est quod probari non possit: nihilque futurum tutum ab impudenti Sophistarum. Quid autem est in hac distinctione nouum? Nam in eo debuit Sophista se exercere: sed id fuit difficilius: itaque maluit exclamare.

V. Secundo, probat agi de vera fide & iustificante. Primo, quia in eodē capite alias occurrit illud ipsum credere in Christum, de vera fide, *Cogitauerunt principes Sacerdotum ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illū abibant ex Iudaeis, & credebant in Iesum.* Item, *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: ut sermo Isaia impleteretur, Domine, quis credidit auidiui nostro? Iterum, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Rursus, *Ego lux in mundum ueni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Cum igitur, inquit, haec omnia de vera fide iustificante intelligantur: cur non etiam illud: Eadem enim sunt verba, & eadem phrasia.

VI. Deinde addit Augustinum, in Ioan. tract. 53. *Vide quomodo notauerit Euangelista, & improbauerit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit: qui in hoc ingressu fidei, si proficerent, amorem quoque humana gloria proficiendo superarent. Et 54. Quidam crediderunt praedestinati in vitam eternam, quidam vero non crediderunt. Eorum autem qui crediderunt, alij usque adeo confitebantur, ut palmarum ramis acceptis uenienti occurrerent, in eadem laudis confessione latantes: alij vero ex principibus consisteri non audebant, ut de Synagoga non eijcerentur.*

VII. Sed illud prius leue est. Si enim verum est credere esse varios gradus, quorum aliqui pertineant etiam ad fidem non veram, omnes autem significantur eodem vocabulo, nihil est absurdum; vnum illud verbum varie intelligi, prout variis variis illi gradus competunt. Sic ascendere dicitur in montem, & qui ad summum peruenit, & qui in medio subsistit. Sic audiuisse vocem de caelo, tum qui Angelum dicebant loquutum, tum qui tonitru factum, Ioannis 12. Sic ad Rom. 5. peccatum usurpatur & pro Adami actuali, & pro aliorum originali. Exempla sunt alia infinita.

VIII. Ad secundum, fateor videri Augustinum sensisse, istos principes sincere credidisse: vel potius cepisse credere: diserte enim, *In isto ingressu fidei.* Sed non posse fidem esse veram sine operibus satis indicat, statim, addens. *Si proficerent, amorem quoque humana gloria proficiendo superarent.* Si proficerent, nempe in fide; cuius iam ingressum tenebant. Enimvero quis tam tardus est, ut non intelligat Astrologiae scientiam non posse esse sine cognitione astrorum, etiam si qui prima eius elementa incipit degustare, nondum Mercurij cognorit anfractus? Imo, quis non concludet, non esse veram astrologiam, sine ea cognitione, cum audit eo peruenturum illum si ab illis principibus progrediatur ulterius?

IX. Non ab simile illud est Dominici, ex Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum: sed qui facit voluntatem patris mei. Multi enim dicent in illa die, Domine, in nomine tuo prophetauimus, & reliqua: qui tamen non intrabunt in regnum caelorum.* Dicere autem Domine, Domine, ad fidem Catholicam pertinet, qua cognoscimus Deum esse verum Dominum. Neque ita cognoscimus, ut daemones: nam illi non dicunt Domine, quia non credunt ex obedientia. Dicere autem, Domine, est propria fides Christiani: non acquisita solum, sed qua captiuantes intellectum, assensum praebemus diuinæ maiestati eius professi legem: quae esse nihilominus potest absque charitate. Et ideo subinfert redemptor noster: *Omnis ergo qui audit verba mea haec, & facit ea, assimilabitur viro sapienti: qui autem audit & non facit, assimilabitur viro stulto.* Vbi audire idem est quod credere, & suscipere fidem.

X. Sed nos negamus habere fidem quicumque dicit Domine, Domine. Haec enim est externa tantum professio, quae potest esse communis etiam hypocritis. Et vero, quis ignorat describi à Christo Pseudopphetas, qui veniunt cum vestimentis ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces? Haecine vera fides dici potest, quae nihil habeat nisi extrinsecum? Imo fidem esse probauimus in intellectu & voluntate, quae facultates sunt internae. Quid? quod Christus illis ita dicentibus Domine, Domine, responderet, Nunquam noui vos? Itane: ut nunquam Christus norit eum qui habeat veram fidem? Credant Mahumetani: Christiani non credent: qui illud audiunt potius Ioan. 6. *Amen, Amen, dico vobis, qui credit in me, habet vitam eternam.*

XI. Chrysostrum tamen, a quo alios ex Veteribus agnosco hoc ipsum ad fidem retulisse: nec nego posse: sed tum distinguo oportet veram fidem à falsa fide. Nam etiam falsa fides, siue mortua, quae est hypocritarum, dicit, *Domine, Domine:* & eo falsa est, quod praeter verba nihil habet. Sed fides vera longe altius penetrat.

XII. Sed, inquit, dicere Domine, Domine, ad fidem Catholicam pertinet.

Tom. III.

Recte, inquam: quia ex abundantia cordis os loquitur, & erumpit in confessionem. Sed habere tamen fidem veram & Catholicam, quicumque dicit Domine, Domine, hoc nos negamus. Quia negamus hanc propriam esse fidem Christiani. Non enim potest quae sit communis hypocritarum. Est enim falsum, illam esse fidem, qua captiuantes intellectum assensum praebemus diuinæ maiestati: alioquin id nunquam hypocritarum facerent, nunquam Pseudopphetarum.

XIII. Negamus etiam audire idem esse quod credere. Nam Credere est venire ad Christum. At negat Christus eum ad se venire qui audit, si tantum audit. Ioan. 6. *Quisquis audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me.* Conuenit ergo, Audire, & discere, ut necessarium vtrumque ad veram fidem. Et quidem dicere, non ad solum assensum intellectus: nam id est audire: sed voluntatis, in qua vis fidei consistit, & differentia veræ ab hypocritica. Paulus 4. ad Ephel. *Vos autem non ita didicistis Christum: si modo eum audistis & per eum edocti fuistis, sicut est veritas in Iesu.*

XIV. Dominicus argumentatur iterum ex 14. Huc, inquit, attinet parabola inuitatorum ad coenam magnam: qui certe nihil de conuiuio dubitantes, excusauerunt sese, negotia secularia praetendentes.

XV. Imo huc illa parabola non pertinet. Primo enim nihil dubitare de conuiuio, negamus esse fidem. Quia id pertinet tantum ad intellectum: at hæc nulla est vera fides. Deinde, inuor Dominici stuporem, qui ab iis argumentum ducat, qui inuitati renunciarunt. Nam, hi profecto nullis comparari possunt fidem profitentibus: sed manentibus in infidelitate: & uocationem asperrantibus: noluerunt enim venire eo, quo venit is qui eiectus est in tenebras exteriores, ut constat ex 22. Matth. ubi Maldonatus, *illi qui inuitati non uenerunt, propterea non uenisse dicuntur, quia credere noluerunt.*

XVI. Bellarminus argumentum deducit ab illis testimoniis, quæ docent in Ecclesia esse bonos & malos. Similitudine palmarum & tritici in area, Matth. 3. piscium bonorum & malorum in reti, Matth. 13. uenientium ad nuptias sine veste nuptiali, 22. Virginum prudentium & fatuarum: item ouium atque hædorum, 25. Quoniam enim qui sunt in Ecclesia, fideles sunt, si idem mali esse possint, certe sequitur fidem, unde dicuntur fideles, cum peccato, unde dicuntur mali, posse esse coniunctam.

XVII. Respondeo primo, argumentum esse *de modo ditionis.* Concludit enim posse fidem esse coniunctam cum peccato, id est, posse eundem hominem esse peccatorem, & tamen habere fidem: quod nos non negamus, & ante contra professi sumus. Nonne enim negamus vllum esse in hac vita fidelem, non obnoxium peccatis? Quid ergo? Nempe hoc asserimus, ut non sit fides absque peccato, tamen non posse esse veram, & iustificantem absque vllis bonis operibus. Hoc Bellarminus non refutat hoc argumento: sed tantum calumniam, quam nobis diximus ab eo esse impositam.

XVIII. Secundo respondeo non sequi, si sint in Ecclesia multi absque bonis operibus, esse propterea fidem absque vllis bonis operibus. Ratio, quia non omnes qui sunt in Ecclesia, habent fidem illam veram, & iustificantem, de qua quaestio est, sed illam *imperfectam*, quæ constat tantum ex externa confessione, aut etiam ex assensu historico: Quæ nulla ratione dici potest fides iustificans.

XIX. Instat Bellarminus. Primo, non debere nos assumere tanquam certum id quod est in quaestione, id est, fidem benevolentiae solam esse veram fidem. Secundo, Si omnes mali, qui sunt in Ecclesia, fide vera carerent, certe ob id potissimum reprehendi deberent, quod praeter alia peccata, exciderint à vera fide. At non reprehenduntur de omissione fidei: sed de omissione operum. Matth. 22. quod non haberent vestem nuptialem, id est, caritatem, testibus Hieronymo, Chrysostrum, & aliis. Virgines fatuae, propter defectum olei, id est, operum misericordiae, teste Chrysostrum. Qui ex grege dominico à sinistris erunt, propter mala opera: teste Augustino de fide & operibus, cap. 15. Paulus etiam 1. ad Corinth. 5. incestum non arguit infidelitatis: non Petrus, Actuum 5. Ananiam & Sapphiram: Actuum 8. Simonem.

XX. Nos respondemus ad primum: si nos respondentes non debeamus pro certo sumere fidem quam benevolentiae appellat, esse solam veram fidem: certum illum argumentantem non debere pro certo sumere, fidem sine operibus esse veram & iustificantem fidem: quod est in quaestione. Ceterum, oblitum esse magnum Sophistam non artis quidem suae: sed veræ Dialecticæ, quæ peccatum principij petiti imputat interroganti, non autem respondenti, cui certum esse debet non discedere à sua thesi: itaque, pro certo habere quicquid in ea ponitur, donec aduersarius argumentis contra euicent.

XXI. Ad secundum, respondeo dupliciter: Primo, negamus vbiunque reprobi reprehenduntur, debere ipsum infidelitatis peccatum exprimi. Nam & qui scortatores sunt, non semper adulterij necessario, sed aliquando furti accusantur etiam si possint vtriusque. Ratio satis perspicua, quia vtrius modo damnationem merentur.

XXII. Secundo, negamus sequi, si obiciantur tantum opera mala, non reprehendi ob infidelitatem. Imo contra: quia verum, fidem non esse absque bonis operibus: ideo certum, qui arguuntur nulla habuisse bona opera, eo ipso conuincuntur non habuisse fidem veram. Testis est Apost. Iacobus, c. 2. cum iubet ostendi fidem per opera. Quo posito, nihil attinet de singulis exemplis disputare.

CAP. XII.

De fide sine charitate apud Paulum

I. Valde pugnant autoritate Pauli 1. Cor. 13. & Iacob. 2. Illud prius videamus. Paulus ergo, *Si habuerit omnem fidem, ita ut montes transferam: charitatem autem non habeo, nihil sum.* Non modo ergo fides, inquit Dominicus, sed maxima esse potest, absque charitate.

II. Respondemus, fidem in hoc loco ab aliis aliter exponi. Vel pro vera fide, & quæ sit omnium fidelium, vel de peculiari quadam, quæ sit paucorum. Si ergo illo sensu intelligamus, negamus consequentiam. Quia Paulus, neque se, neque quenquam dixit habuisse fidem sine charitate. Sed hypothetice, si inquit, habuerit. Notum est autem in huiusmodi hypotheticis assumi

R

potius, simul ac crederent. Quamquam, quis ignorat non esse vniuersaliter dictum, sed in definite: Alioquin multos oportet iustificari sine fide.

XXI. Super sunt illa: Nunc manent fides, spes, charitas. Sed nos negamus eandem hanc fidem nominari, & cum dicitur, Si habuero omnem fidem, Ratio, quia hæc non est conclusio oriens a præcedentibus, sed nouum, idque potestimum argumentum, ex comparatione. Patet, quia spes nominatur, quæ in præcedentibus nullo loco fuit.

C A P. XIII.

De Fide sine operibus, apud Iacobum.

I. Superest Iacobi locus, qui in Epistola sua, inquit Bellarminus, non solum docet, sed etiam probat fidem sine operibus non iustificare, & tamen sine operibus inueniri posse. Cap. 2. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare illum?

II. Esse autem illam veram fidem probat: Primo, quia absolute fides dicitur: quod nomen in sacris literis semper veram significat. Secundo, quia de eadem fide continuato sermone, dicitur, fidem Abrahami cooperatam esse operibus eius, & ex ipsis operibus consummatam: at hæc fides Abraham non fuit umbra fidei, nec inanis articulorum notitia, sed vera fides. Tertio, quia conclusio sit, Videtis, quod ex operibus iustificetur homo, & non ex fide tantum. At umbra fidei nullo modo iustificat. Quarto, quia comparatur homo habens fidem sine operibus, ei qui contentus sit cognoscere pauperes egerere & nihil eis elemosynæ largiatur. Quomodo enim nihil prodest pauperibus, quod diuites sciant eorum inopiam, etiam si verissima sit ea cognitio, nisi secundum eam cognitionem necessaria eis præbeant: ita nihil prodest vera fides, nisi quis iuxta eam viuere statuat Quinto, quia comparatur fides sine operibus, corpori sine spiritu: quod certum est verum esse corpus licet mortuum.

III. Respondeo Apostolum loqui de fide non vera: & quæ tantum in nomine obtineat: quomodo Paulus deos c. 8. ad Corinth. & stultitiam prædicationis, primo: imo, τὸ μωρὸν τῆς Θεοῦ. Nominare ergo fidem seti fidei nihil haberet, præter illam professionem: quomodo non raro ποῖς Θεοῦ οὐδὲν solent concedi nomina τῶν ὄντων, adeo ut Paulus non dubitaret asserere Antichristum sessurum in Ecclesia Dei 2. ad Thessal. 2. Occumenius, ἡ δὲ οὐνοσημανθῶν τῆς πίστεως οὐκ ἔστιν ἐπισημῶν. ἰπὶ τῆς ἀληθείας τῆς φανερῆς συζήτησεως, πῶς ἐλάττωται λίγην, καὶ ἡ κριτικὴ δαιμόνια, ἡ γὰρ πρὸς πιστεύειν ὅτι Θεὸς ἦν καὶ πάλιν τὸ αὐτὸ δὲ ἡ πίστις ἐπακροῦσθαι καὶ βεβαίως συζητῶσθαι τὸ πῶς πιστεῖται ἐρηματικῶς καὶ τῶν ἡμεῶν. Ad duo significata referuntur fidei nomen. Nam, fidem solumus usurpare, tum de simplici confessione eius quod apparet: sicut etiam demonas scimus credere Dei Filium: & rursus appellamus suæ nomine, id quod consequitur ex firma dispositione, cum certo assensu. Et post, ἐπὶ ὅτι πίστις οὐκ αὐτὴ ἐκζητεῖται ἀποστολῶν (καὶ τὸ ἴδιον πῶς αὐτῶν): Alioquin, fidem (eam dico, quæ reuera fides est) impuro non ingenerari, quis contradicat.

IV. Nec contra probat Bellarminus. Nam in primo, ἡ δὲ γὰρ ἐπισημῶν est. Neque enim Iacobus absolute fidem nominat, sed ἐπισημῶν. Itaque discrete, non si quis fidem habeat: quod esset absolutum: sed, si fidem dicat aliquis habere se: que posito semel, potuit postea securus, fidem dicere, non addita exceptione, etiam eadem notione: quomodo 1. ad Corinth. 1. cum semel præmississet, Sermo ille de Cruce, is quidem qui pereunt, stultitia est: postea nude dixit: placuit Deo, per stultitiam prædicationis seruare credentes: & stultitia Dei sapientior est quam homines. Quomodo igitur Paulus intellexit etiam in posterioribus stultitiam, quam primo descripsit, quæ non esset stultitia: sed ita appellaretur ab iis qui perirent: ita & Iacobus fidem dixit, quæ non esset vere fides, sed quam fidem dicerent se habere nonnulli, quod semel monuit: & monuisse satis fuit.

V. Abrahami fidem vmbra fuisse nemo erat qui diceret. Sed ex Abrahami fide, fidem definire omnium, & eorum maxime, qui solam externam fidei laruam habent, iniquum est. Neque à mente Iacobi. Quis enim nefcit comparari etiam dissimilia? Certe Paulus 1. ad Corinth. 8. ita scripsit, Etiam si sint qui dicantur dii in celo & in terra: sicut sunt dii multi, & domini multi: nobis tamen unus est Deus, Pater ille à quo omnia, & nos in ipso: unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos: et ipsum: ubi manifestum est falsis diis verum Deum opponi, tanquam nihil habentem cum iis commune præter nomen nudum. Chrysost. ἡ ἀποκρίσις ἡμεῶν, ἀπὸ λέξεω ἰσοῦ, οὐκ ἐστὶν ἀπὸ λέξεω, ἀλλ' ἐν ἡμεῶν τὸ ἴδιον. Non simpliciter sunt, sed ἀντιτίθενται: non in re, sed in verbo hoc obtinentes. Tum autem certum, in fide vera, esse aliquod commune cum fide non vera, nimirum externam professionem, siue historicam cognitionem. Hæc igitur cum est in impiis, & fidelibus, cur non utrobique idem nomen assequatur? Sensus est ergo Iacobi. In Abrahamo fuisse quidem eandem fidei professionem: sed non ab ea iustitiam illi: imo à vera fide, quæ habuit secum opera bona.

VI. Neminem iustificari ex vmbra fidei vilo modo, concedimus. Et hanc causam dicimus, quare hæc fides quæ in hypocritis esse dicitur fides non sit. Sed quid hoc ad rem? Asserit Iacobus ex operibus iustificari hominem, negat ex sola fide. Id discrete legimus: sed fidei veræ nomen huic esse non video non enim dictum, hanc fidem ita solam aliquomodo iustificare: sed profus negatum, iustificare.

VII. Sed in comparatione charitatis, quis delirare Bellarminum neget? Nihil, inquit, prodest pauperibus, quod diuites sciant eorum inopiam. Sane, inquam: sed hoc quid ad rem, aut vnde habuit? Nam huiusmodi cognitio, nihil ad charitatem. Et Iacobi non est mens difficilis. Gagnæus, Quomodo nudum illud verbum, quo dicitur, Ito in pace, saturare: nisi pastum reipsa illi præbeas, nihil illum inuenit: ita nihil te inuat fides, congruis destituta operibus. Et ante hunc Lyranus, Fides sine operibus, similis est verbo sine intellectu. Sed tale verbum nihil prodest: sicut si aliquis dicat famelico Vade, & comedere: & non det ei aliquid ad comedendum, tale verbum nihil prodest: sed magis est frustratorium, & derisorium. Nihil planius. Sensus ergo, quemadmodum sola charitatis iactatio inuulsi, ita & fidei.

VIII. Corpus mortuum esse verum corpus, nemo dubitat. Sed nego fidem hanc comparari corpori mortuo: sed homini (ut hunc exempli gratia

nominem, qui facilius occurrit) mortuo. Hic autem solo nomine est homo. Guillaudus, Ut cadaver, aut simulacrum, speciem quidem hominis, non autem vim & opera hominis habet, ita & fides, sine charitate & operibus.

IX. Nullo igitur argumento confici potest à Iacobo nominatam esse veram fidem: id est, eam quæ fideles distinguit ab infidelibus. Nobis autem certa sunt argumenta, quibus probemus eam nominari quæ solo nomine fides est: quorum quædam vidit Bellarminus, & conatus est solueré.

X. Primum est: Quod Iacobus non dicat, Quid proderit, si quis fidem habeat: sed potius, si quis fidem habere se dicat: quæ verba adeo sunt generalia, ut suo ambitu non tantum tantum, sed etiam τῶν φανερῶν, ὅτι τῶν, complectantur: Sic Genes. 27. Iacob dicebat se esse Esau: Iosue nono: Gabaonitæ dicunt, se de terra longinquauisse. Hinc 1. Ioan. 2. Qui dicit, Notum est, & mandata eius non seruat mendax est. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.

XI. Opponit Bellarminus, Apostolum notare iactantiam improborum, qui de sola fide glorientur: ut sit sensus: si quis sola fide fretus eam iactet, seque ea contentum esse affirmet, seiat sibi nihil huiusmodi fidem profuturam. Et probat ex his verbis, Nunquid fides poterit saluare illum? Sed hoc non est respondere: Nam illud, Si quis sola fide fretus, intelligi debet, de fide quam ille se habere dicit, non autem de fide, quæ vere sit fides: nec de eo qui vere habens fidem, hac etiam nitatur. Itaque manet argumentum.

XII. Secundum, Apostolus hanc fidem explicans, eiusque naturam, Tu, inquit, credis Deum unum esse. Bene facis. Atqui natura veræ fidei, id est, iustificantis, vltius progreditur: sibi enim applicat, quicquid est misericordiae, beneuolentiæque diuinæ. Bellarminus respondet, hoc non sumendum, sed probandum. Ergo, inquam differamus paulisper, donec hanc etiam partem disputemus. Sed negare tamen non potest hunc esse, & quidem minimum gradum fidei, ut credat Deum esse: qui gradus communis sit multis infidelibus, atque adeo Diabolis: teste Iacobo. Porro, vera fides est Credere in Deum, id est, non tantum nosse, sed etiam amare.

XIII. Tertium, Apostolus hanc fidem, quam illi iactabant, comparat fidei, quam habent demones, Credis Deum unum esse: bene facis: & demonia credunt, & horresunt. At demones habere veram & iustificantem fidem, absurdissimum est: præter alia, quia fidem iustificantem consistit esse infusam per Spiritum Sanctum.

XIV. Respondet; fidem impiorum partim conuenire cum fide demonum: partim dissidere. Conuenire, quod ex parte obieci, sit veraque vera: & tamen infusa. Dissidere, quod Demonum fides sit necessaria, propter rei euidentiā: impiorum, libera, captiuante intellectum voluntate. Iacobus igitur illo modo fidem demonum comparasse cum fide impiorum. Imo Augustino, de vnico Baptismo, c. 10. vsque adeo veram & Catholicam esse fidem demonum, ex parte obieci, ut compararetur cum fide sancti Petri, quam Dominus laudauerit, Matt. 16.

XV. Sed Sophista non responderet. Quid tum enim, si conuenit vtraque fides ex parte obieci? An propterea non est verum, in Demonibus non esse veram fidem? Imo et si obieci conueniant Visus & Tactus; quia arboe m verque discernit, tamen non est idem sensus visus, & tactus; nimirum quia non omnis discretio arboris visus est: sed hæc talis discretio, nimirum per oculos, & lucem. Omnino ita: et si eundem Deum apprehendant Pij, & Impij ac Demones: & eatenus, ex parte obieci, non nihil sit simile: tamen, quia aliter apprehendunt Demones impiique; aliter fideles; non potest veraque esse eadem fides. Et vero Augustinus falso citatur: non enim ille fidem, sed confessionem comparat: Qui dicit destruendum esse baptismum Christi, quando illo hæretici baptizant, consequens est, ut dicant negandum esse etiam ipsum Christum, quando eum demones consistunt. Hinc laudatus est Petrus, quando dixit, Tu es Christus Filius Dei. Ergo ista confessio Petro fructuosa, demonibus pernicioosa, in vtriusque, tamen non falsa, sed vera, non neganda, sed agnoscenda, non detestanda, sed approbanda est. Audis discrete confessionem, Bellarminum: & tamen fidem dicit Potest ne hoc artificium à bona mente esse? Aut nunquam ne legeras ad Tit. 1. Deum profitentur se scire: sed factis negant.

XVI. Quartum: Iacobus hanc fidem sine operibus mortuam esse dicit, Ita quoque, fides, si opera non habeat, mortua est per se. At quicquid mortuum est, sola nominis homonymia id est quod dicitur.

XVII. Responderet: fidem dici mortuam, non quomodo homo dicitur mortuus, qui post mortem non est, sed quomodo corpus, quod post mortem est, sed non viuat: Probat: quia vita non sit de essentia fidei. Itaque dici fidem mortuam, quomodo aquam mortuam, quæ non fluat: et si vere proprieque sit aqua.

XVIII. Sed si ita Bellarminus censet: at nos aliter. Quid ni enim ius liceat à vno φανερῶν? Quamquam res ipsa clamat. Nam Iacobus voluit inutilitatem fidei ostendere. In ea rem, mortuæ vocabulum usurpauit. Atqui aqua mortuæ, id est, non mouentes se, ut in lacu, non propterea significantur inutiles; sed tantum priuata eo motu, quem habent flumina. Quare Iacobus, si eo sensu vsus esset eo vocabulo non expressisset quod volebat. Sed vitam, cur, aut quo sensu negat esse de essentia fidei? Id viderit: nos poni pro argumento dicimus quod probari oportuit. Certe, ut hominem esse hominem impossibile est, absque vita: ita fidem esse fidem, absque sua vita, profus absurdum.

XIX. Accedit quintum: quod fides sine operibus, comparatur charitati, quæ tantum consistit in lingua, nihil vero operis habet. Nam hæc certe non est charitas 1. Ioan. 3. Qui habuerit mundanas facultates, & viderit fratrem suum egentem & clausit viscera sua coram eo, quomodo charitas Dei manet in eo? At hic Iacobus discrete, Ita quoque, fides sine operibus mortua est: id est quomodo charitas, nihil nisi verba habens humanitatis plena, non est charitas: ita fides sine operibus non est fides: vnde necesse est, pro eodem sumi, fides non est fides, & fides est mortua.

C A P. XIV.

Rationes aduersariorum.

I. Super sunt aduersariorum argumenta à Ratione, & Patribus. Prima ratio Dominici. Ratio & essentia fidei non solum alia est à ratione charitatis,

tatis, sed natura sua prior, neque ab illa dependens. Ergo, nihil vetat, quominus & prior gigni possit quam charitas: & hac abeunte, perstare. Probatur antecedens: Quia fides tota consistit in intellectu: cuius operationem voluntatis.

II. Respondeo, primo negari consequentiam: Non est enim vniuersale omnib. quae priora sunt natura, vt & re praecedant consequentia: & his ablati, perissent. Sunt enim quaedam antecedentia, quae simul sunt cum consequentibus: Exempli gratia, in animali Vita & Spiratio: in corporibus, Superficies & Color: massa, & pondus: neque tamen ista possunt actu separari. Quia simul ac vivit animal, & spirat: simul ac cessat spirare, cessat & vivere: Cur non similiter: etsi natura sua ponatur fides vera, prior charitate: tamen actu simul sint?

III. Secundo, non bene probatur antecedens: quia falsum totam naturam fidei esse in intellectu: iam enim probatum, esse in intellectu & voluntate. Imo, quum in fide sit ipsis consentientibus aduersariis, notitia & assensus: hunc etiam constat moueri a voluntate, vt notauimus. Itaque non fides praecedit motum voluntatis: sed tantum ea pars fidei, quae est notitia. Sed haec sola non est fides, alioquin posset esse fides sine assensu: vt, exempli gratia, in Atrio fides τὸ μυστήριον: qui norat quid Catholici ita appellarent: etsi dissentiret. Quod si est absurdum, necesse est, etiam si intellectus actio quaedam praecedat actum voluntatis, non tamen fidem praecedere omnem actum voluntatis.

IV. Secunda ratio eiusdem: Fides nullam vim infert voluntati. Ergo quantumcumque fidem adhibeamus Deo inuitantinos ad caeleste conuiuium, comminantique a ternas poenas, ac pollicenti requiem a laboribus, nihil fecius liberum est homini praesentia bona seruilia illis anteferre. Itaque nulla est repugnantia; habere fidem certam & constantem, & nihilominus persistere, in aliquo peccato.

V. Respondeo: non concludi quaestionem. Primo enim non negamus fidem consistere cum aliquo peccato, sed tantum non consistere absque vllis operibus bonis: potest autem in aliquo peccare ex humana infirmitate, qui tamen in aliis rebus ostendat se vera, etsi infirma, fide praeditum. Quomodo Paulus se dixit, etsi faceret malum, tamen nolle malum: etsi non faceret bonum, tamen velle bonum. Sic Petrus, etsi non bene dissimulabat praesentibus Iudaeis, tamen Iudaeos amabat, ex charitate Christiana.

VI. Secundo, concedimus posse fidem haberi Deo pollicenti, & comminanti; & tamen praeferrere temporalia caelestibus. Sed hanc negamus esse veram fidem: Quia vera fides, non tantum credit Deo, id est, fidem habet ei, sed etiam credit in Deum, quod longe amplius est. At non potest, qui credit in Deum praeferrere absolute temporalia aeternis: sed tantum τὸ αἰνῶν, ex infirmitate: quomodo Petrus praeferebat Iudaeos libertati Christiana. Sed qui τὸ αἰνῶν praefert temporalia aeternis: idem τὸ αἰνῶν praefert aeterna temporalibus. Ideoque non est omnino absque operibus bonis.

VII. Denique fatemur voluntatem nunquam cogi a fide: imo semper manere liberam. Negamus tamen sequi eum, in quo sit fides, absolute posse praeferrere temporalia aeternis. Ratio, quia omnis habitus voluntatis determinat voluntatem ad aliquid, & tamen non cogit voluntatem, quominus maneat libera: nimirum quia habitus ille ab ipsa voluntate est, ac proinde secundum eius naturam. Sed huiusmodi libertas non potest id efficere, vt quandiu is habitus supponitur, non sit etiam determinatio. Sic impossibile vt qui habet charitatem, non amet proximum: nempe quia charitas est deest, terminatio voluntatis, ad amandum proximum. Itaque, si vtrumque supponas, & charitatem esse, & non amari proximum contradictionem implicat. Potest quidem eadem voluntas, quae praesente charitate, amat proximum, odisse proximum, sed discedente charitate. Omnino ad eum modum fides, quamdiu est in voluntate hanc, non tantum incitat, sed etiam mouet ad appetenda caelestia: nimirum quia talis est habitus: nec tamen cogit, quia est habitus. Et qui ponit fidem veram, illam, inquam, quae non tantum credit Deo, sed etiam in Deum: & tamen praeferrere simpliciter terrestria caelestibus, contradictionem implicat.

VIII. Tertia ratio Bellarmini est: Si fides & charitas disiungi non possent, id fieret, vel quod vna esset de ratione alterius: vel quod vna necessario nasceretur ab alia. At neutrum. Non enim prius: quia fides & charitas non sunt vna virtus, sed duae. Non posterius: quia etsi charitas oritur ex fide, tamen, non vt propria passio, quae necessario fluat a subiecto: sed vt virtus ad quam alia disponit & inclinatur.

IX. Respondeo negari assumptum. Quia Charitas haeret fidei: quod ab ea necessario nascatur. Neque enim aut charitas vera esse potest absque fide, sed tantum naturalis quidam affectus: neque fides sine charitate: quia nunquam inutilis est fides vera: at quaeunque fides est sine charitate, eam pronunciat Paulus inutilem. Tam igitur non possunt diuelli fides & charitas, quam ignis & lux: mo: inquit, Calvinus, quam Christus & Spiritus.

X. Bellarminus vidit hanc solutionem: & cum non habuit quod opponeret, conuertit se ad suggillanda similia: quia ignis similitudo in Scripturis proprie tribuitur charitati: Cantic. s. Aqua multa non poterunt extinguere charitatem. Quia etiam, qui fide Christum respicit, vel recipit, intueatur quidem illum cum spiritu suo, & recipiat: sed credendo, id est, credat illum habere Spiritum sanctificationis, & dilectionis: vnde tamen non lequatur, cum fide semper esse spiritum, nisi obiectiue: quomodo est sanitas in aegrotto, quando illam cogitat, aut appetit.

XI. Sed Bellarminus sophisticè nugas agit. Quid enim attinebat similitudines sollicitate: quae non solutionem continent, sed illustrant tantum: nisi vellet, quod a iure nodum in serpo quaerere: Scilicet, quia non habuit, quo solutionem improbarer. Quod si non placerent, istae alia potuerunt assumi: quis enim nescit multa huius generis occurrere, quae non possint diuelli; eo quod vnum nascatur ex alio: etsi alioquin diuersa sint? Ne Bellarminus quidem fuit nescius.

XII. Non comparatur, inquit, ignis fidei, sed charitati. Esto, inquam: Nec necesse. Illud debuit potius attendere Bellarminus: vtrum non sit diuersa ratio ignis & lucis: an vero vtrum ignis possit actu separari a luce. Na si vtrumque verum, obtinemus quod volumus. Nec poterit obtinere ille, non esse fidem & charitatem in eo rerum genere quae non possunt distrahi.

XIII. Sed in Christo & Spiritu manifestus est illufor. Qui fide Christum recipit, inquit, credit illum habere Spiritum, non tamen ipse continuo

habet, Quod genus ergo nobis ille fidei describit: Non enim profecto verax, per quam dicitur Christus habitare in cordibus nostris. Non potest enim habitare Christus in nobis, vt non etiam eius Spiritus: quia qui non habet Spiritum Christi, is non est eius. Qua de re paulo post plura. Itaque Mahometicum illud somnium est, Spiritum non esse in eo qui fidem habeat, nisi obiectiue: id est, quomodo sanitas in eo, qui mortaliter aegrotans, optat bene valere: Apage hanc Christianitatem, Imo apage hunc, siue Papiſmum, siue Ieiunium.

XIV. Quarta ratio eiusdem, ab eo quod sibi non constet nostra doctrina, quae negat iustificationem pendere a conditione operum: quia sic nemo certus esset se esse iustificatum. At si fides necessario coniuncta esse debet cum dilectione, & bonis operibus. Ergo iustificatio, hoc ipso quod pendet a fide, penderet ab operibus: itaque nemo poterit esse certus se esse iustificatum.

XV. Eset vero quod gratiam haberemus Bellarmino, tam sollicito, ne nos ipsi nobis non constemus: nisi hoc ipso ipsum illud efficere conaretur, ne nobis constarem. Sed nos Dei gratia tam longe absumus ab huiusmodi absurdis, quam ille abest a vero sensu Christianitatis. Negamus igitur iustificationem, eo quod pendeat a fide, quae non possit esse sine operibus, pendere ab operibus. Ratio facilis, quia fidei vis iustificandi non est ab operibus. Sic etsi ignis non possit diuelli a luce, tamen calefactio non pendet a luce: cum igni vis calefaciendi non sit a luce.

C A P. XV.

De Patribus.

I. Exhaustis rationibus transit ad Patres: Augustinum primo de Trinitate libr. 15. cap. 18. Fides sine charitate potest quidem esse, sed non est prodesse. In Ioannis Epistol. tract. 10. Iam credit aliquis in Christo, sed odit Christum: habet confessionem fidei in timore poenae, non in amore coronae. adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides, qualem dixit Apostolus Paulus, fides, quae per dilectionem operatur. Subdit aliorum aliquot nomina.

II. Sed facilis nodus. Fidem hi loci docent esse sine operibus: sine charitate: At quam fidem, non indicat Bellarminus: imo indicatio opus non habuit, ne Sophista non esset. At nos, qui ab initio fidei varias notiones distinximus, eo ipso ostendimus nos non negare aliquam fidem esse sine operibus. Hoc igitur negotij caput erat: vtrum eandem fidem Patres intelligant esse sine operibus, quam nos negamus. Viderit Bellarminus quid possit. Nos probamus facile non esse. Quia ipsi distinguunt Patres. Augustinus eo ipso sermon. 10 in Epistol. Ioan. Saluemur ab ipso, ambulemus per ipsum. Hoc est credere quod Iesus Christus est, quomodo credunt Christiani, qui non solum nomine Christiani sunt, sed factis & vita: non quomodo credunt demones. Cyrillus libr. 10. in Ioannem c. 18. Qui verbis nudis Christum consistuntur, sed mandatorum obseruatione, id est, charitate, ad perfectionem non conformantur: quamuis Christo fide inhaerant, inque eo hac ratione maneant, verba tamen eius non habent.

III. Addit ex August. de Spiritu & Litera, c. 32. Vnde est dilectio, id est charitas, per quam fides operatur, nisi vnde illam fides ipsa impetravit? Haec Augustinus. Si fides, inquit Bellarminus, impetrat charitatem, certe prior est charitate, & antequam illam impetret, sine illa manet.

IV. Euge, inquam: strenue, & sophisticè: quasi, cum ille olim concluderet eum verberare patrem, qui negabat se desisse verberare. Profus similiter: fides manet sine charitate, antequam charitatem impetrarit, id est, si aliquid detur tempus, quo fides sit fides, & tamen non impetrarit charitatem. Sed hoc nos vllum tempus negamus dari. Etsi fateamur a charitate impetrari: & eatenus charitate esse fidem priorem: quia haec prioritas non temporis est, sed rationis: vt solis, & lucis.

C A P. XVI.

Argumenta Catholica.

I. Catholici haec habent contra. Primum. Ex 1. ad Timoth. 5. Qui suorum, maxime domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infidelis deterior. Item ad Tit. 1. Deum profitentur se scire, sed factis negant: cum sint abominandi, & rebelles, & ad omne opus bonum reprobi. Manifestum est argumentum. Nemo habet fidem, qui hanc negauit. Quicunque suorum curam non gerit, quod est charitatis, fide negauit: ergo, qui suorum cura non gerit, is fidem non habet. Et per consequens: qui fidem habet, suorum curam gerit: id est, habet charitatem. Similiter: Nemo fidem habens Deum negauit: at quicunque est abominandus, & ad omne opus bonum reprobis, Deum negauit: is ergo fidem non habet: Et per consequens, qui fidem habet, nemo est abominandus, & ad bonum opus reprobis.

II. Bellarminus respondet, Apostolum loqui de iis qui fidem negare dicuntur, quia non viuunt vt fides viuendum docet: Infidelibus deteriores, non quoad omnia, sed quoad impietatem in suos Negant autem fidem non corde, vel ore, sed opere.

III. Omnino ita est, inquam: neque oportuit interpretes citare testes in tanta verborum Pauli perspicuitate imo pondere. Sed quodnam quae hoc sophisticè genus est, quae obiectiones dilui puter, si id ipsum, quod pro argumentum est; aliis verbis exprimat? Nisi forte ita concepit animo, vt nemo fidem abnegarit, qui dicatur fidem abnegasse. At nobis sanior mens est. Sed & Chrylostomo, Quomodo fidem negauit? Deum, inquit, consistuntur nosse, operibus vero negant. Quid autem praecipit is, cui credimus Deus? Domesticos seminis non despicendos, πῶς ἔστι πρὸς εὐεχὴν τὸν οὐρανὸν ὁ τοῖς ἔργοις, Quomodo autem huiusmodi credit, qui Deum abnegauit? Et post, ὅτε τοῖς ἔργοις ὁ ἀπίστος ποιεῖ, οὐ μὴ ποιεῖ, ὅσον ἠρῶνται τὸν πρὸς τὸν οὐρανὸν, Quando igitur, quod infidelis facit, tu facere negligis, nonne fidem abnegasti, ἅρα ὁ τὸ πρὸς τὸν οὐρανὸν μόνον τὸ πρὸς τὸν οὐρανὸν, ἀλλὰ καὶ τὸ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀξία. Non igitur credere, nihil aliud est quam fidem consistere: sed etiam opera demonstrare digna.

IV. Secundum Ioannis 6. Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Ipse enim sciebat qui non essent credentes, & quis esset eum traditurus. Et tamen confitebantur omnes: alioquin quorsum illud, sciebat qui essent credentes? Manifesta

si licet ut homo faciat opere, quod dicit ore: & Deus reddat ei beatitudinem quam promissit, In 5. ad Galatas: Fides vocatur ab eo, quod sit illud, quod inter utrosque placitum est, id est, inter Deum & hominem: quando & facit opere quod dixit ore, & Dominus reddat, quod promissit. Et ideo fides sine operibus non est vera fides, quia non facit, quod dicit.

XXV. Addehis omnibus, eos omnes qui docent quid sit credere in Deum. Vera enim fides Christiana, & Catholica, ea est, quæ credit non tantum Deo aut Deum, sed etiam in Deum. At qui istud credere in Deum, non potest fieri sine charitate. Hoc Veteres probant. Augustinus in Psalm. 77. Hoc est credere in Deum, quod utique plus est, quam credere Deo. Nam & homini cuiuslibet plerumque credendum est, quamvis in eum non sit credendum. Hoc est ergo credere in Deum, credendo adhaerere ad bene cooperandum bona operanti Deo. Et in 130. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Omnes qui credunt in Christum, & sic credunt ut diligant. Hoc est enim credere in Christum, diligere Christum: non quomodo demones credebant, sed non diligebant Christum, & ideo quamvis crederent, dicebant, Quid nobis & tibi est, Fili Dei? Nos autem sic credamus, ut in

ipsum credamus diligentes eum: & non dicamus, quid nobis & tibi est: sed dicamus potius, ad te pertinemus, tu nos redemisti. In Ioan. tract. 29. Quid est ergo credere in Deum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire. & eius membris incorporari. Ipsa ergo est fides, quam de nobis exigit Deus. Emilianus siue Casarius, siue Eucherius de Symbolo homil. 2. Aliud est credere Deo, aliud in Deum credere. Credere & Paulo & Petro iure debemus: in Petrum vero ac Paulum credere, id est, in servos conferre honorem Domini non debemus. Credere illi, quilibet potest homini: credere vero in illum soli te debere noueris maiestati. Sed & hoc ipsum aliud est credere Deum, aliud credere in Deum. Esse Deum credere, & Diabolus inuenitur: in Deum vero credere, nisi qui pie in eum sperauerit non probatur. Et ideo Deum credere, naturaliter scire est: in Deum vero credere, hoc est, fideliter eum querere, & tota in eum dilectione transire. Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 19. Credere Christo, obedire est Christo: qui autem aut non confitetur, aut non conuersatur secundum verbum eius, ille nec obaudit Christo, nec credit.

FINIS LIBRI DVODECIMI.

LIBER DECIMVSTERTIVS.

De

DE FIDEI OBIECTO.

Caput Primum.

STATUS CONTROVERSIE DE APPLICATIONE IUSTIFICATIONIS.

VENIO ad eam quæstionem, quæ est, Vtrum Fides subsistat in vniuersali consideratione salutis in Christo proposita: an vero hanc eandem applicet vnicuique peculiariter. Nam Catholicorum quidem hæc confessio est: art. 20. Confessionis Gallicæ.

II. Credimus nos sola fide fieri huius iustitiæ participes: sicut scriptum est, ipsum passum esse acquirenda nobis salutem, ut quicumque crediderit in eum, non pereat. Hoc autem ideo fit, quod promissiones vitæ nobis in ipso oblata, vniuersi nostri applicantur, & nobis redduntur efficaces, cum eas amplectimur, nihil ambigentes nobis euentura, de quibus ore Dei certiores sumus. Diserte expressum, nos fieri participes iustitiæ, promissiones nobis applicari; eas nos amplecti: denique, nihil ambigere ea nobis obuentura, de quibus certiores nos Deus reddidit.

III. Plenius tamen id ipsum explicant nostri. Melancthon in locis cūmunibus c. de Vocabulo fidei. Cum dicit Paulus, Iustificamur fide, vult te inueniri Filium Dei sedentem ad dextram Patris mediator, interpellantem pro nobis: & statuere, quod tibi remittantur peccata, quod iustus, id est, acceptus reprobis, seu pronuncietis propter illum ipsum filium, qui fuit vnicūm, Caluinus eodem sensu fidem definit, c. 2. Inst. §. 7. Esse, diuinam erga nos benevolentiam firmam certamque cognitionem, quæ gratuita in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum & reuelatur mentibus nostris, & cordibus obsequatur. Et post §. 16. In summa vere fidelis non est, nisi qui solida persuasionem Deum sibi propitium beneuolumque patrem esse persuasus, de eius benignitate omnia sibi pollicetur: nisi qui diuinam erga se benevolentiam promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit. Nec aliter Beza, Confessionis c. 4. art. 5. Fides, de qua loquimur, non ea est, quæ duntaxat credimus Deum esse Deum, & verum esse ipsum Verbum (habent enim ipsi quoque, Diaboli hanc fidem, & eo magis tremunt) sed fidem appellamus certam quædam scientiam, quam Spiritus Sanctus, sua vna gratia ac bonitate magis insculpit cordibus electorum, quæ scientia fit, ut eorum vnusquisque in corde suo certior factus sua electionis, sibi ipsi applicet promissionem salutis in Iesu Christo. Fides, inquam, non tantum credit Iesum mortuum fuisse ac resurrexisse pro peccatoribus, sed etiam amplectitur Iesum Christum in quo vno confidit qui vero credit, & ita certus est sua salutis, ut quoad eius fieri potest, de ea nihil dubitet. Et post, art. 13. Scimus fidem intrinsecus esse: fidem, inquam, illam, quæ non modo in genere & confuse credimus Iesum venisse, ut mundi peccata tolleret: sed nobis ipsis sigillatim Christum applicamus, adeo ut vnusquisque nostrum ita apud se ratiocinetur, Ego sum in Iesu Christo, ideoque non possum perire.

IV. Hæc summa est eorum, quæ nos hac parte docemus. Eius duo capita. Prius, fideles scire per fidem non tantum vniuersali, vel potius indefinita quadam notione, aliquos saluos futuros: vel, saluos futuros eos, qui crediderint: sed etiam particulari, seipso saluos futuros, quia credant. Atque hoc modo sibi peculiariter applicat vnumquemque eas promissiones, quas indefinitis verbis audit in euangelio propositas. Atque adeo hanc applicationem, subministrare differentiam fidei veræ iustificantis, à fide historica: quæ non aliter concipit quæcunque audit de Deo, eiusque misericordia, quam ut pro veris, vel potius veracibus habeat: quod possunt etiam infideles plurimi: imo faciunt Diaboli omnes.

V. Alterum caput, hanc scientiam coniunctam esse cum certitudine: cuius mensura sit non alia, quam fidei. Itaque perfectæ fidei perfectam esse certitudinem: imperfectæ imperfectam. Sed quomodo naturam fidei describentes, non debemus hæere singularum personarum defectibus: ita & in hac certitudine. Quomodo ergo pronuntiamus, Fidei opponi non tantum rei creditæ falsitatem, sed etiam personæ credentis defectibus, quamvis nemo sit, quamdiu est in hac vita, adeo prouectus, ut non egeat hac prece, Marci 9. Credo, Domine, succurre incredulitati meæ: omnino similiter in hoc negotio. Fidelis est, certo statuere se per fidem saluum fore: neque fidelem esse, nisi ita statuat: et si verum sit ex sensu carnis, propriæque infirmitatis,

alios sensus suggeri, quibus concutiar huiusmodi certitudo: adeo ut videatur nonnunquam in ætate degenerare. Sed enim in eis etiam, ut in aliis tentationibus, & in ætate.

VI. Itaque Pererius non agit sincere disp. 19. in 3. ad Rom. hanc applicationem ita describens, ut disculla ex animo omni dubitatione, ac trepidatione, certo quisque persuasum habeat sibi esse remissa peccata: & adeo quidem persuasum, ut si vel parum dubitet, aut trepidet, ne forte non sit iustificatus, is non ad Deum, sed ad Diabolum pertineat. Quæ chimerica est Iesuitæ somniantis imaginatio. Absit, ut adeo ignoremus humanam infirmitatem, quam negamus vnquam omnino nullam esse in quantumvis regenito, ut fidem ponamus extra omnes tentationis sensus. Sentit, sentit illa profecto, nec raro, miris motus ab indignitate sui, à mundo, à Sathana: & ita sentit, ut non possit non affici, atque adeo vacillare, & ferme desperanda similibus esse. Sed eadem aliquantum lucetata, elucetatur denique. Itaque nunquam desperat: Laxius dixi: quod ne ipsi quidem negent Papistæ: dico ergo amplius: nunquam non credit: nunquam non certo credit suam esse salutem: nimirum quia credendo pugnat, credendo vincit. Valeant ergo Iesuitæ, cum sua doctrina: Catholici suam securitatem ne amittunt.

VII. Bellarminus scripsit nos tres fides distinguere, historicam, miraculorum, promissionum: & promissionum, aliam generalem, qua credamus esse promissam omnibus credentibus salutem: aliam specialem, qua vnusquisque sibi promissionem diuinam applicans, confidit peccata omnia sibi dimissa. Admodum Iesuitice. Nam fidem promissionum nunquam video apud nostros nominari: sed iustificantem, distinctam ab illa, quæ est historica: & ab altera, quæ est miraculorum. Et iustificantis quidem omnino esse idem obiectum, quod historica, nimirum quicquid reuelatum est in Scriptura: quanquam varia ratione, gradue inæquali: nimirum, quia peculiari quodam modo hæreat promissionibus de salute æterna, tanquam proprio fundamento. Differre autem, non cognitione, sed applicatione: nimirum quia fides historica indefinitam veritatem considerat tantum: at iustificans hanc ipsam indefinitam veritatem peculiariter applicat: adeo ut Demones, per fidem illam historicam dicant, Omnes credentes in Christum saluabuntur. At vere fideles non id tantum, sed amplius, Ego, quia credo in Christum, seruabor: Imo, eo ipso quod historice credant omnes credentes seruatum iri: credat et se in seruatum, quia credat. Hoc cum sit, duæ fides intelligi possunt: hoc sensu tantum, quomodo duæ vitæ, vegetans, & sentiens. Nō hoc, ut animans vlla viuatur duab. ut ita dicā, vitis, vna vegetante, alia sentiente: sed quia viuatur & planta, & animans: aliter illa, aliter hæc: nimirum illa tantum vegetantem vitam: hæc vero vegetantem simul & sentientem: id est, non duas vitas, sed vnicam, quæ vtramque facultatem habeat. Similiter fidelis, fide credit historica, & iustificante, non tanquam duplici, sed tanquam vna, quæ vtrumque habeat: nimirum & certitudinem historica, & applicationem peculiaris. Quare distinctio historica & iustificantis, nunquam fit in eodem subiecto, sed in diuersis: nisi forte doctrinæ gratia: quomodo in eodem igne lux & calor.

VIII. Sanderus cauillo lancinat hanc nostram sententiam. Nam, cum legit, fidelem considerare, & certo statuere sibi remissa esse peccata, illud statuendi verbum seuerè exagitat, c. 13. lib. 3. de Iustificat. Certo statuere, inquit, est ex potestate libera de re potestati nostræ subiecta, certum quæ de re dubia sententiam ferre. Quod probat ex 1. ad Corinth. 7. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens sua voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit. Itaque neminem posse certo statuere, quod sit filius Dei, & hæres vitæ æternæ: quod hæc res non sit in cuiusquam potestate.

IX. Verum hoc quicquid est, facillime diluitur. Fatemur, statuendi illam crebram esse significationem, fortasse etiam propriam, & primam ut significet autoritatem in rem, cuius constitutio pendeat ab arbitrio nostro: vnde Principum statuta: Imo etiam Dei. Et hoc sensu negamus aut quæquam